DE

ANGELI POLITIANI

VITA ET OPERIBUS

DISQUISITIONES

AUCTORE

NORBERTO ALEXANDRO BONAFOUS.



PARISIIS

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHI,

VIA JACOB, 56.

—

1845.

ANGELUS POLITIANUS.

DE


ANGELI POLITIANI

VITA ET OPERIBUS

DISQUISITIONES

AUCTORE

NORBERTO ALEXANDRO BONAFOUS.



PARISIIS,

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHI,

VIA JACOB, 56.

1845.

ANTIQUISSIMÆ ALBIGENSIUM CIVITATI.

D. D.

Hanc lucubrationem meam, amatissima civitas, devota mente oblatam, rogo obtestorque benigne accipias, qua tibi si non ingenium quodcumque, aut doctrina mea, certe animus tamen et voluntas innotescant. Tibi profecto debentur laboris mei primitiæ. Tu mihi enim, cum admodum parvulus essem, prima doctrinæ elementa dedisti; tu mihi dulce musarum commercium conciliasti; tu denique semper votis me et amore tuo prosecuta es. Meum ergo munusculum ne dedigneris. Quod si pro tuis erga me meritis levius forte videbitur, memineris, precor, hoc esse pietatis monumentum et amoris æterni pignus quod matri filius offert et dedicat.

NORBERTUS ALEXANDER BONAFOUS, ALBIGENSIS.

ERUDITO LECTORI ET BENEVOLO.

S. P. D.

N. A. BONAFOUS.

Multi quidem, lector eruditissime, varios nobis de Angeli Politiani vita et operibus commentarios tradiderunt. Quorum nomina, si perpendere, non numerare velis, solosque majorum gentium scriptores consulere, inter tot et tantos qui Politianum nostrum in peculiaribus scriptis tractaverunt, àut de illo obiter locuti sunt, eos præcipue adire poteris quorum infra tibi recensionem offerimus. Sed omnes pari digni fide non judicandi sunt. Plerique enim ex parum probabilibus conjecturis, et mendacibus vulgi fabulis, aut etiam ex libris inscitia plenis et invidia, sylvam rerum argumentorumque materiam comparave-

runt. Ex quibus spurcissimis fontibus quis purum liquorem sperare queat? Multa itaque incerta, dubia, vel ex omni parte falsa, quæ turpi, si admitterentur, ignorantiæ impietatisque crimine, fœdissimorumque etiam labe vitiorum Politiani vitam premerent, alius alium, ut audacius Pomponii Læti verbum adhibeam, sturnatim et graculatim insequentes, inconsulte retulerunt.

Novam ergo statuimus Politiani vitam describere, in qua rerum fide traderentur quæcumque alii parum accurate scripsissent. Cum enim Politianum, cujus limatissimum ingenium amplissimasque virtutes quicumque profitemur litteras, veneremur necesse est, a malevolis obtrectatoribus, lautissimas dapes harpyiarum more inquinantibus, fœdatum contaminatumque videremus, ea hominum injuria haud parvam nobis molestiam ferebat. Diligenti itaque judicio usi, vera a falsis prudenti discrimine separavimus, ipsiusque Politiani auctoritatem in narrando primam habuimus.

Politianum primus attrectavit Paulus Jovius, episcopus Nucerinus, qui cum pulcher-

rimam domum in ipsis Plinianæ villæ vestigiis excitavisset, imaginesque clarorum virorum pertinaci multorum annorum studio sumptuosaque curiositate toto fere terrarum orbe perquisitas in musæo dedicavisset, Angelum in pinacotheca sua collocandum curavit. Sed dum meritum Politiano Jovius honorem tribueret, munere superaddito referti mendaciis elogii, quod nomen iste livori et calumniis indidit, dextra manu concessas, ut ita dicam, sinistra laudes retinuit. Jovii maledicta recantavere Melanchthon, Vossius, Balzacius, Scaligeri duo, Voetius, et multi præterea alii, qui credulam istis invidiosis commentis fidem præstiterunt. Inter quos primum in maledicendo locum Varillasius ambivit et adeptus est. Namque Procopii Cæsariensis imitandi cupidus, Florentina et ipse ἀνέκδοτα edidit, in quibus antecessit quidquid, ut ait Juvenalis, Græcia mendax audet in historia. Ibi, si volumen totum pervolveris, integras invenies paginas rebus falsis et absurdis adeo scatentes, ut raram in auctore vim excogitandi satis demirari non possis.

Quidam tamen, eo ipso tempore quo Poli-

tianus sycophantis distrahendus dilaniandusque tradebatur, nomen ejus in pristinum honorem et decus vindicare statuerunt. Maxima præsertim Joanni Pierio Valeriano debetur gratia, qui in eo singulari et aureo opusculo, cui titulus *De infelicitate Litteratorum*, veritatem calumniis et invidia pene obrutam excitare et loco suo restituere haud infeliciter aggressus est. Cujus beneficio et gratia, vera nobis patuit causa mortis Politiani, tandemque licuit illius eximii viri mores laudare, cujus humanissimum ingenium jampridem venerabamur.

Nulla autem ætas, quanquam incuriosa suorum, Politianum nostrum neglexit et aspernata est. Miræ enim facundiæ virum, et infinitæ tamen curæ, homines aut invidia prosecuti sunt, aut laudabili foverunt studio. Adeo sunt multi, lector optime, omnium ætatum litterati, qui in Politiani operibus pervolvendis desudarunt, ut ne nomina quidem eorum tibi dare nobis liceat; nam in tali recensione longus consumeretur dies. Itaque de illis tantum tibi perpauca dicemus, qui Politianum, quodam peculiari opere, specialiter amplexi sunt.

Daniel Guilielmus Mollerus, historiarum et metaphysices olim in academia Altorfiana professor haud ignobilis, et ob editas imprimis multorum tam veteris quam recentioris ævi doctorum virorum historias laude sua non defraudandus, de Angeli Politiani vita, operibus et doctrina dissertationem e cathedra defendit Altorfii, anno 1698; quam, utpote rarius jam obviam, laudabili instituto, Fredericus Rothscholtzius, Norimbergæ agens, et varii generis libellis aliquem inter eruditos jam locum occupans, cum reliquis auctoris *De claris Historicis* dissertationibus, numero quinquagenis, denuo subjicere prælo destinaverat, ejusque rei fidem dederat in specimine laboris hujus, Norimbergæ, anno 1726, vulgato. Sed aliis forte districtus curis, ut ait Menckenius, promissis nunquam satisfecit.

Petrus deinde Bælius, vir stupendæ prorsus doctrinæ, qui in immensi sudoris opere, quæ laudanda apud scriptores viderentur in cœlum extulit, et vituperanda humi depressit, singulorumque virtutes et vitia ita exposuit, ut nullum suspicandi locum aperuerit se cuiquam, aliquo partium studio, indulsisse;

Bælius, inquam, de vita et meritis Politiani bona multa commemoravit. Divinus, ut ita dicam, veritatis indagator, et in dilucidandis historiarum reconditioribus tenebris felicissimus, nobis in lucubratiuncula, cujuscumque sit pretii, ad finem perducenda, maximus fuit adjutor.

Laudibus Politiani, post Bælium, manum admovisse nos docet Menckenius Wernerum Jacobum Clausium, in schola Magdeburgensi conrectoris muneri præfectum, qui de Molleri Bæliique laboribus nihil aut parum admodum compertum habens, cum, lectis Politiani scriptis limatissimis, captum se vehementi quodam viri amore sentiret, cœpit ex tenui, quæ suppetebat ipsi, scriptorum supellectile colligere res ejus maxime memorabiles, vulgo cognitas, et quidquid dispersum passim de doctrina et scriptis Politiani invenerat, in ordinem redegit, styloque compositum non inconcinno, edidit sub titulo : *Politianus, sive de Angeli Bassi Politiani, canonici olim Florentini, atque ætatis suæ facile principis, vita, scriptis et moribus liber, Magdeburgi, anno* 1718, *in*-8.

Haud ita longo post tempore, Fredericus Otto Menckenius, in Universitate Lipsiensi professor celeberrimus, qui laudibus Hieronymi Fracastorii, anno 1731 editis, aliquod inter doctos sibi nomen fecerat, Politianum quoque nostrum eodem munere decorandum suscepit. Nimiæ autem indulgens curiositati, cum omnia quæ ad Politianum pertinere viderentur, diligenti congereret studio, tantum conflavit volumen, tantam exstruxit molem, ut in eo rerum et testimoniorum indigesto acervo atque incomposito, omnia fere invenias, præter id quod requires. Menckenium tamen laude sua defraudare nolim; maximo enim ille nobis fuit adjumento. Cujus librum rarissimum, ideoque minus obvium, quem frustra in locupletissimis Italiæ bibliothecis quæsiveramus, nobis tandem optantibus subministravit opulenta illa ac vere regia bibliotheca, quam Aquis Sextiis olim condidit Mejanus, vir de litteris et de patria optime meritus. Quanquam infiniti pene laboris opus confecerit Menckenius, Politianum tamen integrum posteritati non tradidit; paucissima enim de Politiani Etruscis carminibus nobis

tradidit, quæ ne legisse quidem eum suspicor. Itaque debitam partem gloriæ inscius abstulit Angelo, qui duobus summis, Alligherio et Petrarchæ, proximus accedit; nec longo intervallo proximus; nemo enim intercedit qui se illi anteferat.

Magnam quoque ex Serassio et Fabronio utilitatem percepimus. Uterque enim res Politianicas haud infeliciter tractavit; prior accurata diligentia et eleganti quadam simplicitate, ut decet historicum; posterior vero ornatius et elatius, utpote qui oratoris laudem prosequeretur. Multi sunt præterea alii, ex quorum scriptis optima quæque excerpsimus, ut nostras sine sapore dapes alienis condimentis gratiores efficeremus. Eorum autem a quibus operam mutuati sumus, præcipui sunt Crescimbenius et Tiraboschius, qui, omnium consensu, litteratorum de rebus Italicis bene meritorum antesignani et sunt et dicuntur.

En habes, lector optime, omnia de quibus monitum te voluimus. Ne diutius te in vestibulo nunc detineamus, industriam nostram apud te, aut nostra, quæcumque sint, in Politianum merita non venditabimus. Quod si

romanas aures tuas latini sermonis peregrinitate offenderimus, nostrumque librum fastidiosus abjeceris, Politianum arripito; in eo enim percipies ex eruditione fructum, et ex elegantia voluptatem. Vale.

—

DE

ANGELI POLITIANI

VITA ET OPERIBUS

DISQUISITIONES.

CAPUT I.

DE ANGELI PATRIA ET VERO NOMINE GENTILITIO.

Angelus de Ambroginis Politiani nomen, quo multo est notior, a Monte Politiano, vulgari lingua *Montepulciano*, sumpsit, Etruriæ oppido, ubi, an. cIɔccccLIV, pridie idus Quintiles (1), natus erat. Variæ autem sunt de vero nomine Politiani sententiæ. Quidam enim illum fuisse *De Bassis* contendunt, alii vero *De Cinis*, alii *De Ambroginis*. Primam opinionem defendunt Vossius (2), Gaspardus Scioppius (3), Cafferus (4), Menagius (5), Thomas Popeblount (6),

(1) Errat Tiraboschius, dum Politianum, die vicesimo quarto mensis Julii, natum fuisse affirmat.

(2) Vossius, *De Hist. lat.*, lib. III, cap. 8, p. 628.

(3) *Paradox. litter.*, Amstelodami, a. 1659, p. 34.

(4) *Syntagm. vetustat.*, p. 274.

(5) *Orig. ling. ital.*, voc. *Poliziano*, p. 377.

(6) *Censur. celebr. auctor.*, p. 507.

Joannes Cinellius (1), et quidam alii. Secundam tuentur Spinellius Bencius (2), Alexander Adimarius (3), Carolus Datius (4), et Ferdinandus *del Migliore*, qui ipsius affert Politiani chirographum, Joannis Pici Mirandulæ testamento subscriptum (5). Ultimam vero amplectuntur abbas Antonius Maria Salvinius (6), Canonicus Salvinius frater ejus (7), Tiraboschius (8), Crescimbenius in ultimis editionibus suorum in historiam vulgaris poeseos commentariorum (9), et Fabronius (10). Quæ ultima sine dubio pro certa et vera habenda est. In Florentino enim tabulario publico servatur authenticum privilegii doctoralis instrumentum, Politiano in legibus canonicis concessum die 23 decembris an. 1485, a Gabrielo de Petro Joanne Simone de Vaconda, reipublicæ notario seu tabellione publico, et Florentini archiepiscopatus cancellario, solemni formula conditum; in quo leguntur verba sequentia : *Cum*

(1) *Bibliot. Volante*, scanz. 10, p. 83.

(2) *Storia di Montepulciano*, p. 77.

(3) *Osservazioni a Pindaro, da lui tradotto*, p. 734.

(4) *Vite de' Pittori*, postilla alla vita d' Apelle, p. 117.

(5) *Firenze illustrata*, p. 218.

(6) *Note alla traduzione d' Oppiano*, Firenze, 1728, p. 242.

(7) Crescimbeni, *Comentari intorno all' Istoria della Volg. poes.*, vol. II, part. II, lib. VI, p. 336, ediz. Veneta.

(8) *Storia della Lett. ital.*, tom. VI, p. 1069; Firenze, 1809.

(9) *Loco citato.*

(10) *Elogi di Dante, Poliziano, Ariosto e Tasso;* Parma, 1800, p. 96

igitur vir doctissimus, insignis D. Angelus, fil. egregii doctoris D. Benedicti de Ambroginis de monte Politiano, Prior sæcularis et collegiatæ ecclesiæ sancti Pauli Florentini, quem scientia, moribus et virtutibus sublimavit Altissimus, die infrascripta 23 *decembris* 1485, *ind.* IV, *fuerit præsentatus Reverendissimo in Christo D. Raiualdo de Ursinis, archiepiscopo Florentino, etc.* (1). Nihilominus P. Lagomarsinius cujusdam Politiani operum exemplaris mentionem facit (2), quod typis impressum Lugduni, anno 1533, in ipsius manus venerat, cujusque in prima pagina legebatur notula, incertæ quidem, sed non recentis manus. Ibi ille, quiçumque scripsisset, partem cujusdam Politiani epistolæ referebat, ad finem Catulli, inter multas ipsius Angeli animadversiones inventæ, in qua hæc verba legebantur: *Tu, lector, boni consule..... meminerisque Angelum Bassum Politianum, quo tempore huic emendationi extremam imposuit manum, annos decem et octo natum fuisse. Vale, jucundissime lector. Florentiæ,* MCCCCLXXIII, *pridie Idus Sextiles. Tuus Angelus Bassus Politianus* (3).

Quod si duo suprà allata documenta non haberemus, Politiani scilicet chirographum, ipsiusque privilegii doctoralis instrumentum, nota illa, quam affert P. Lagomarsinius, ad proban-

(1) Crescimbeni, *loco citato.*

(2) In notis, ad Gratian., *De Scriptis invita Minerva*, tom. I, p. 45.

(3) Tiraboschi, *Stor. del. Lett. ital.*, tom. VI, p. 1070.

dum Politiani domum fuisse de Bassis, magna esset auctoritas. Sed si illa comparaveris argumenta, nihil prorsus momenti retinere Lagomarsinianam notam videbis, præsertim cum sit incerti auctoris et dubiæ fidei. Nec cum Tiraboschio crederem potuisse Politianum, ob suum antiquitatis studium, Bassi cognomine proprium nomen augere (1). Nullam enim invenio satis probabilem rationem, cur Bassi nomen potissime Noster elegisset (2). Ex quibus manifeste liquet Vossium

(1) *Loco citato.*

(2) Nota quidem sunt nomina antiqua Cæsii Bassi, venustissimi poetæ lyrici, cui satiram VI inscripsit Persius, cujus et laudes memorat Quintilianus in *Inst. Orat.*, lib. XI, cap. 1; quemque demum Fonteius, *de Prisca Cæsiorum Gente*, lib. I, cap. 19, putat, sed dissentientibus multis, eumdem fuisse ad quem scribit Propertius, lib. I, *Eleg.* IV, v. 1, et de quo versus exstat Ovidii, Trist., lib. IV, *Eleg.* X, v. 93: Salleii Bassi, poetæ suavissimi, cujus carmina prædicat Quintilianus, in *Inst. Orat.*, lib. I, cap. 10, et Auctor *Dialogi de Orat.*, cap. 5; quin et ipse Politianus in *Nutriciis*:

> An Taceam Bassum, gravido tua dona ferentem,
> Vespasiane, sinu?

Julii et Junii Bassorum, quos pro iisdem habet P. Burmannus, in *Not. ad Quintil. Inst. Orat.*, lib. VI, cap. 3, contra sententiam Vossii, *De Hist. lat.*, lib. I, cap. 22, p. 114: Aufidii Bassi, cujus libros *Belli Germanici* memorat Quintilianus, *Inst. Orat.*, lib. X, cap. 1, eloquentiam vero prædicat Auctor *Dial. de Orat.*, cap. 23: Gabii, seu Gavii, seu Caii Bassi, cujus *De Origine Verborum libri*, Gellio passim, et *De Diis*, opus elucubratum Macrobio, in *Saturnalibus*, cap. 9, citatur: aliorumque quos memorant Cicero, Epp., lib. VII, ep. 20; Plinius, *Epp.*, lib. IV, ep. 15; lib. VII, ep. 31; et lib. X, epp. 32 et

et Scioppium (1), qui primi Politianum esse de Bassis dixerunt, longe a vero erravisse. Cujus erroris causam interpretatur Salvinius (2), dicendo illlos, ob nominis similitudinem, pro Angelo Colotio Basso, poeta Siculo, qui eodem floruit tempore, Nostrum accepisse (3).

Qui autem secundam tuiti sunt sententiam, Politianumque *de Cinis* esse voluerunt, nominis compendium pro nomine ipso sumpserunt. Florentini enim, sine ullo discrimine, longius *de Ambroginis* vocabulum contrahendi gratia, *Gini* vel *Cini* dicere solebant. Politianus ipse, in supra

33; Horatius, lib. I, od. 36; Martialis, lib. III, epp. 47, 58, 76; lib. V, epp. 24, 54; lib. VI, ep. 69; lib. VII, ep. 95; lib. VIII, ep. 10; lib. IX, ep. 103; lib. XI, ep. 99; lib. XII, ep. 99. (Menckenius, *De Vita Angeli Politiani*, p. 7 et 8.) Cui Bassorum, in numerosa illa cohorte, similem se, assumpto nomine, Politianus prædicaverit, nemo sane affirmare auderet.

(1) Falso credit Menagius (*Anti-Baillet*, cap. 14) Scioppium primum fuisse qui Bassi nomen Politiano dederit. Prima enim Vossii *De Hist. lat.*, editio Lugduni Batavorum, a. 1627, prodiit, dum Scioppii *Paradoxa litteraria*, a. 1628, Mediolani primum typis mandata fuerunt.

(2) *Traduz. d'Oppiano*, p. 242, in notis.

(3) Bassus hic æqualis et amicus Politiani fuit, ut inferre licet ex versibus quos sibi mutuo scripserunt :

Carmina quum Basso deberem, carmina misi;
Rettulit ille meis carmina carminibus,
Qualia sub densis volucris nec Daulias umbris,
Eridani in ripis, nec canit albus olor.
Sic sua cum Lycio donasset ahenea Glauco,
Aurea Tydides rettulit arma domum.
(Polit., *Lib. Epigrammat.*)

allato Joannis Pici Mirandulæ testamento, tali contractione non se abstinuit. Nam inter alios testes nomen suum his verbis scripsit : *Ego Angelus Politianus, filius Domini Benedicti de Cinis, decretorum doctor, et canonicus Florentinus, rogatus et præsens*, etc. Hæc de vero Politiani gentilitio nomine.

CAPUT II.

POLITIANI FAMILIA. QUO TEMPORE FLORENTIAM VENERIT ACCEPTUSQUE IN LAURENTII MEDICIS DOMO FUERIT.

Patrem ergo habuit Politianus Benedictum de Ambrogiuis, vel si procope utaris, de Ginis aut Ciuis, doctorem legum, haud ignobili loco natum, jurisque et legum satis peritum. Mater ejus fuit Agnes Tarugi, de qua apud scriptores nihil fere invenias (1). Ex quibusdam Politiani scriptis, illi fuisse fratrem Philippum nomine, qui in arte picturæ versatus fuerit, concludere non dubitavit Menkenius (2). *Is enim quis sit, cujus hic frater Philippus dicitur, si Politianus non est, hariolari non possum.* At Politianus, dum *fratrem* Philippum illum pictorem appellat, turpiter errandi Menckenio ansam præbuit. Philippus enim hic Lippius pictor fuit celebris, cui marmoreum tumulum in Ecclesia Spoletana a Philippo juniore, ejus fratre, exstruendum curavit Laurentius Medices. Cur autem Politianus Philippo fratris nomen dederit, res, ut enodetur, Œdipo non indiget, sed Davo. Philippus enim sacris or-

(1) Sic Menckenius post Bottarium; illudque confirmatur Indice canonicorum Florentiæ biographico, a Can. Salvino Salvinio ordinate disposito, qui exstat Florentiæ, in ecclesiæ metropolitanæ tabulario.

(2) Menckenius, in *Vita Polit.*, p. 31.

dinibus fuerat adscriptus, unde, vulgari lingua, *Fra Filippo* dictus est (1). Multum tamen est probabile Politiano fuisse fratrem, Tommasum nomine, cui ob privatas inimicitias, occisumque Montis Politiani civem, Florentiam migrare necesse fuerit (2).

In musæo, quod Vindobonæ est, asservantur duo numi ære impressi, Politianum ostentantes, notis vultus et corporis delineamentis, quorum posticæ facies notatione dignæ sunt. In altera enim mulierem videre est, forma haud ignobili, cum his verbis : MARIA POLITIANA. *Illa cujus generis femina sit,* ait Menckenius, *sororne Politiani an pellex, an nomine saltem conjuncta ei, nondum ipse ausim definire certo. Nihil enim de ea scriptores, qui de Politiano commemorarunt, diligentissimi.* Ego vero potius Angeli sororem cre-

---

(1) Hujus Philippi pictoris laudes habemus in Ugolini Verini carminibus. *Carm. illustr. Poet. ital.*, tom. X, p. 352.
Hæc sunt Politiani carmina :

IN PHILIPPUM FRATREM, PICTOREM.

Conditus hic ego sum, picturæ fama, Philippus;
Nulli ignota meæ est gratia mira manus.
Artifices potui digitis animare colores,
Sperataque animos fallere voce diu.
Ipsa meis stupuit natura expressa figuris,
Meque suis fassa est artibus esse parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hic me
Condidit; ante humili pulvere tectus eram.
(Polit., *Lib. Epigr. lat.*)

(1) Fabroni, *Elog. del Poliziano*, p. 96. — Ciampolini, *Annotazioni alla Vita del Poliziano, da lui premessa alle Rime del poeta*; Firenze, 1814, p. xx.

derem, observata præsertim inter utramque faciem, Angeli scilicet et Mariæ Politianæ, maxime in nasi ductibus, satis magna similitudine. Constat præterea, ex narratione Roberti Ubaldini (1), Politiano fuisse sororem, quæ sepulturæ ejus, cum aliquot nepotibus, qui tunc ea de causa aderant Florentinæ urbi, mœrens interfuit.

Tenues quidem erant Benedicti opes, quemadmodum sæpius ipse candide fatetur Politianus; sed non adeo angustæ, ut in Medicæorum famulatu a pueritia Noster vivere conatus fuerit. Unus ex nostratibus historicis, qui merito splendide mendacis famam obtinuit, nescio qua fultus auctoritate, Politiani parentes ad tantam inopiam devenisse refert, ut servire ipse Laurentio et Juliano de Medicis constrictus fuerit; quotiesque ad ludum irent, si historico credendum foret, ipse, velut pedisequus, pone incedens, libros eorum, ut inde legendi occasionem haberet, portare solebat (2). In quo non parum errat iste dubiæ fidei scriptor. Benedictus enim de Ambroginis fuit, pro tempore suo, doctor legum jurisque consultor satis celeber; nec proinde adeo fuit inops, ut filium suum servorum conditioni addicere de-

(1) Vide cap. 20.

(2) Varillas, *Anecdotes de Florence*, liv. IV, 3e édition, p. 193, la Haye, 1689. — « Politien était de Florence, et ses parents vivaient dans une si grande pauvreté, qu'il fut contraint de se mettre à la suite de Julien et Laurent de Médicis lorsqu'ils allaient au collége, et de porter leurs livres, afin d'avoir la commodité de s'en servir. »

buerit (1). Constat præterea sex annis et ultra natu majorem fuisse Laurentium, qui die prima januarii, anno 1448, natus erat. Politianus autem non prius in Medicæorum domum acceptus est, quam illa de ludicro Juliani spectaculo stupenda carmina composuisset.

Multo magis vero errat Boissardus (2), quem secuti sunt Thomas Poplebount (3) et Menckenius (4), dicendo Politianum impensis Cosmi veteris, Patris patriæ, una cum Marsilio Ficino, bonis artibus et disciplinis institutum fuisse. Quomodo enim admitti posset res tam parum verisimilis, cui repugnant, tum Angeli tenerior ætas, vix annis decem, quando Cosmus e vita migravit, nati; tum etiam silentium, quo erga illud Cosmi beneficium in suis operibus ingrate usus

(1) Notæ sunt causæ quæ Angelum e Monte Politiano Florentiam migrare coegerunt. Quas sic refert Fabronius (*Elog. del Poliziano*, 96): « *Nacque Angelo de Benedetto Ambrogini, dottor di leggi, che private nimicizie con un certo Paolo Grancoso, suo concittadino, condussero infelicemente alla morte. Un suo figliuolo, per nome Tommaso, la vendicò coll' uccisione dell' uccisore, e tutte queste traversie fecero si che Angelo passò la sua prima età ne' pericoli e nelle angustie. Ne sono una prova le Lettere del padre a Piero de' Medici, e quelle di lui medesimo a Lorenzo.* » Hæ litteræ inveniuntur in vita latina Laurentii Medicis, diligentissime a Fabronio descripta, nota LXI.

(2) *Icon. viror. doct.*, p. 31.

(3) *Censura celeb. Auct.*, p. 357. — Hæc sunt ipsa Boissardi verba : *Is sumptu et promotione Cosmi, Florentinorum principis, cum Marsilio Ficino bonis litteris institutus est.*

(4) Menckenius, *Vita Polit.*, p. 31.

fuisset? Omnem enim fortunam suam soli tribuit Laurentio : *Innutritus*, inquit, *pene a puero sum castissimis illis penetralibus magni viri, et in hac sua florentissima republica Principis Laurentii Medicis* (1). Potuit quidem Politianus, quem in domo sua quindecim aut sexdecim annos natum acceperat Laurentius, dicere se *pene a puero* castissimis illis penetralibus innutritum fuisse. Si autem a Cosmo, decimum vix annum agens, in Medicæorum domum vocatus fuisset, cum nondum e pueris excessisset, certe non dixisset *pene a puero*. Magnam Florentiæ auctoritatem comparare cœpit Laurentius, anno 1469, in quo Petrus, pater ejus, mortuus est. Igitur circa illum annum tempus, quo in Medicæorum domum admissus Angelus fuerit, constituendum est.

(1) Polit. *Epp.*, lib. X, 1.

CAPUT III.

DE ANGELI MAGISTRIS.

Cum igitur in teneriore ætate Florentiam venisset Politianus, nondumque in Medicæorum magnifica domo fuisset acceptus, magistros habuit, tum in latinis, tum in græcis litteris, sapientiæque vel Platonicæ vel Aristotelicæ professores, non utique ex illis tenuioribus et gregariis, velutique postremæ notæ, sed ex proceribus, ut ita dixerim, et antesignanis, qui litterarum in illis temporibus facile principes fuerunt. De quibus perpauca dicere, non tam in ipsius Politiani, quam in ejus patris laudem, haud erit supervacaneum. Ut enim Horatium pater :

> Noluit in Flavi ludum... mittere; magni
> Quo pueri magnis e centurionibus orti,
> Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto,
> Ibant octonis referentes idibus æra :
> Sed puerum est ausus Romam portare docendum
> Artes, quas doceat quivis eques atque senator (1).

Sic Benedictus de Ambroginis Angelum a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, Florentiam mittere non dubitavit, quæ tunc haud immerito sedes ac magistra studiorum dici poterat. Non enim in illorum errore versabatur, qui, ut videre est apud Quintilianum, *etiam quum idoneos rhetori pueros*

(1) Horatius, *Sermonum* lib. I, 6, vers. 72 et sqq.

putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquandiu detinent(1). Quanto enim melius sit optimis imbui, quantaque in eluendis, quæ semel insederint, vitiis, difficultas consequatur, probe tenebat; memineratque Philippum, Macedonum regem, Alexandro filio suo vel prima litterarum elementa tradi ab Aristotele, summo ejus ætatis philosopho, voluisse (2).

Inter splendidissima illius Academiæ lumina, quæ tunc temporis redivivum Platonem Florentiæ pio cultu fovebat, haud certe minimis effulsit radiis Christophorus Landinus, quem in litteris latinis Politianus ducem secutus est ac magistrum (3). Non solum autem inter philosophos Landinus annumerandus est, sed etiam inter linguæ græcæ studiosos, latinosque poetas; omni enim genere bonarum artium claruit (4). Florentiæ, anno 1424 (5), natus erat. Cum Volaterris, ju-

---

(1) *Institut.*, lib. II, cap. 3.

(2) *Institut.*, lib. I, cap. 1.

(3) *Landinus, præceptor olim meus, nunc autem utriusque nostrum collega, magnæ vir in litteris et auctoritatis et celebritatis.* (Polit., *Epp.*, lib. V, 3, ad Barth. Scalam.) *Landinus homo et eloquens, et eruditus, et Florentiæ jam diu doctor bonarum litterarum celebratissimus, cui se præceptori adolescentiæ meæ rudimenta magnopere debent, et qui nunc in professione quasi dixerim collega.* (Polit., *Miscellan.*, cap. 77.)

(4) Landini vitam summa cum diligentia et fide scripsit Bandinius. (*Specim. Litt. Florent.*, sæc. XV; Florentiæ, 1747.)

(5) Sic in omnibus fere historiarum scriptoribus. Optime vero animadvertit Tiraboschius (*Storia della Letterat. ital.*,

venis admodum, Angelo Todino magistro usus fuisset, aliquandiu, patri ut morem gereret, juris scientiæ studuit. Deinde, Cosmi Petrique de Medicis favente munificentia, optatas ad litteras redire potuit, scholamque publicam, magno applausu assentientibus omnibus, Florentiæ aperuit. Laurentium ibi et Julianum discipulos habuit, in quibus semper dulce decus et præsidium invenit. Manuscripti exstant in Laurentiana elegorum libri tres dulcissimi, quibus dedit nomen *Xandra*, quorumque excerpta quædam in suo specimine dedit Bandinius(1). Sed ne omnia illius, quæ multa quidem sunt, opera recenseam, mihi celeberrimarum *Camaldulensium Disputationum*(2) mentionem facere satis erit, quæ forma et varietate Ciceronis dialogos referre videntur. Cum in tanti disciplinam rhetoris se tradidisset Politianus,

---

tom. VI, part. *III*, p. m. 1065) in annum 1734 ortum Landini esse differendum. In epistola enim quam Laurentio, anno 1475, scripsit, cum pablici cancellarii munus, quod tunc non obtinuit, ab illo peteret, sic loquitur : *Alterum et quadragesimum annum duco.* (Bandini, *Collect. vet. Monum.*, p. 3.)

(1) *Specimen Litterat. Florent.*, pag. *110* et sqq.

(2) *Disputationes Camaldulenses*, a. 1472 vel *1475*, primum editæ sunt; quæ editio rarissima est. Duæ aliæ exstant Florentinæ. (Brunet, *Manuel du Libraire.* — Negri, *Istoria de Fiorent. scritt.*) Quarta denique Argentorati, a. 1508, prodiit sequenti cum titulo : *Christophori Landini Florentini libri quatuor. Primus de vita activa et contemplativa; secundus de summo bono; tertius et quartus in Publ. Virgil. Maronis allegorias.*

artem dicendi penitus edidicit, Latiæque poeseos elegantissimum florem delibavit.

In græcis discipulus fuit Andronici Thessalonicensis, qui peritia ejus linguæ proximus a Gaza erat, et, judicio aliquorum, etiam præstabat, etsi Latina multum cederet (1). Ex Thessalonica oriundus erat Andronicus, licet a quibusdam Constantinopolitanus dicatur. Nullum affertur documentum, ex quo probari possit illum in Italiam ante annum 1464 advenisse. In illo ipso anno, ut ex Philelphi epistola colligitur (2), Bononiæ professor erat. Romæ quidem, apud cardinalem Bessarionem, aliquandiu vixit. Sed cum fructus pro meritis satis dignos ex schola quam aperuerat non perciperet, Florentiam se contulit, ubi multos discipulos, inter quos fuit Politianus noster, litteras græcas edocuit. In illa celebri de Platone et Aristotele contentione magnam Andronicus partem habuit, et quamvis Aristotelis fautor, Bessarionis, ob modestiam in disputando et urbanitatem, laudem publicam meruit.

Nec minus illustres fuerunt illi sapientiæ magistri, quorum discipulus fuit Politianus, Argyropulus nempe Byzantius in Peripatetica, et in Platonica Marsilius Ficinus. Imo etiam, tum fama doctrinæ, tum præstantia operum, multo majorem laudem adepti sunt.

Joannes Argyropulus, Turcarum impetu Græcia

(1) Vossius, *De Hist. lat.*, p. 628.
(2) Lib. XXIV, ep. 1.

ejectus, apud Cosmum Medicem gloriosa liberalitate litteris faventem in honore fuit, tanta nominis existimatione, ut Petro filio, nepotique Laurentio præceptor datus, loco parentis haberetur, publice vero Florentinæ juventuti Græcos auctores enarraret (1). Illum in Italiam venisse post eversam Constantinopolim crediderunt Hodius (2), Fabricius (3) et Bruckerus (4). Sed si verum loquitur eruditissimus Gymnasii Pataviensis historicus (5), aliquot annis ante se in Italiam contulerat; Universitatis enim Pataviensis, anno 1442, rector electus est. Majus de hoc affert argumentum Papadopolius (6), narrando Argyropulum præsentem fuisse, quando, anno 1444, ad gradum doctoris promotus fuit Franciscus Roverius, qui postea, sub nomine Sixti IV, summus fuit pontifex. Argyropulus Florentiam a Cosmo, Patre patriæ, accitus est, ibique summa omnium admiratione annos quindecim Peripateticam philosophiam est professus (7). Aristotelis *Naturalia*

(1) Paulus Jovius, *Elog. Doct. vir.*, p. 64.

(2) *De Linguæ græcæ Instaur.*, lib. II, cap. 1.

(3) *Bibl. græc.*, tom. X, p. 425.

(4) *Hist. crit. philos.*, tom. IV, p. 39.

(5) Facciolati, *Fasti Gymn. Patav.*, part. II, p. 62.

(6) *Hist. Gymn. Patav.*, tom. II, p. 179. In documentis quæ in Pataviensi episcopatu servantur, hæc leguntur verba : *Vir spectabilis et peritissimus artium ac Philosophiæ magister scholaris Joannes Argyropolus Constantinopolitanus.*

(7) « Cum post interitum quorumdam doctissimorum hominum, studia Florentina magna ex parte remissa viderentur, venit in hanc urbem Argyropulus Byzantius, vir ingenio

atque *Moralia* generose transtulit, ita applaudente Gaza vetere sodali, qui diversas Aristotelis partes vertendo desumpserat, ut quædam ab se pariter translata combureret, ne amicissimi hominis crescenti famæ officerent (1). Pestilentia demum Etruriam devastante, Romam, anno 1471, venit, ubi, cum quindecim annos Aristotelem græce professus esset, immodico melopeponum esu, autumnalem arcessivit febrem (2); sicque ereptus est, anno 1486, ætatis suæ septuagesimo. Erant autem ejus sermones, ut ait Jovius, cum fastidiosi, tum graves eruditorum auribus, et tum maxime quum Ciceronem græcas ignorasse litteras illoto ore prædicaret (3). Quas ineptias magna

---

præstans, summusque philosophus, ut juventutem litteris græcis ac bonis artibus crudiret; jamque plures annos doctrinam tradidit nobis tanta copia, tam multiplicibus variisque sermonibus, ut visus sit temporibus nostris veterum philosophorum memoriam renovare. » (Acciajuoli, ap. Hodium, p. 202.)

(1) Paulus Jovius, *loc. cit.*

(2) De ista Jovii narratione valde dubitat Tiraboschius, nec immerito. « *Paolo Giovio aggiugne ch' essendo egli un solenne ghiottone, il quale consumava tutto il suo ampio stipendio in vivande, morì per aver mangiata un' eccessiva quantità di poponi; il che però io non so su quai fondamenti si racconti dal suddetto scrittore.* » (*Storia della Lett. ital.*, tom. VI, p. 348.) Item credo esse de hoc dubitandum quod refert idem Jovius, Argyropulum nempe, in extremo vitæ actu jocatum, ditiores amicos æris alieni, condito testamento, hæredes reliquisse.

(3) « Et ut homo erat omnium, ut tum quidem videbatur, acerrimus in disputando, atque aurem, quod ait Persius,

vi et animi concitatione refellit Politianus noster in Miscellaneis : « Argyropulus ille Byzantius, olim præceptor in philosophia noster, cum litterarum latinarum minime incuriosus, tum sapientiæ decretorum, disciplinarumque adeo cunctarum, eruditissimus est habitus.... Cæterum, ut homo Græcus, perquam ferebat iniquo animo nobilem illam, nec, ut Theodorus Gaza putat, importunam M. Tullii Ciceronis exclamationem, qua Græciam verborum interdum inopem, quibus se putat abundare, non eloquentius fortasse quam verius pronuntiavit. Ob id igitur subiratus latinæ copiæ genitori et principi, græcus magister, etiam dubitare ausus est, quod nunc quoque vix aures patiuntur, ignarum fuisse non philosophiæ modo Ciceronem, sed etiam, si diis placet, græcarum litterarum. Vix enim dici potest quam nos aliquando, id est Latinos homines, in participatum suæ linguæ doctrinæque non libenter admittat ista natio. Nos enim quisquilias tenere litterarum, se frugem, nos præsegmina, se corpus, nos putamina, se nucleum credit (1). »

Eodem tempore quo Argyropulus Aristotelem in latinum vertebat, publice exponebat, adversus-

---

mordaci lotus aceto, præterea verborum quoque nostrorum funditator maximus, facile id vel nobis, vel cæteris, tum quidem suis sectatoribus, persuaserat : ita ut, quod pene dictu quoque nefas, pro concesso inter nos haberetur, nec philosophiam scisse M. Tullium, nec litteras græcas. » (Polit., *Miscellan.*, cap. 1.)

(1) Polit. Miscellan. cap. 1.

que Michaelem Apostolium defendebat, Marsilius Ficinus, præcipuum Academiæ Cosmianæ lumen ac præsidium, Platonem inducebat latine loquentem, omniaque ejus, nec non et Plotini, Jamblichi, Procli, Porphyrii et aliorum opera, notis et commentariis illustrabat (1). Felix, si nimio divinæ philosophiæ amore incensus, densissimis Alexandrinorum tenebris, ingenii sui non obscurasset splendorem! Sed cum Neoplatonicorum somnia et quasdam Aristotelicas opiniones confusius permiscuisset (2), eo devenit insaniæ, ut in suspicionem magices inciderit (3). Verba ejus rerum obscuritate sæpius involvuntur. Tale est sequens ænigma, quod OEdipo vindice indigeret. Scribens ad Antonium Calderinum, sic loquitur Marsilius: *Cum sub solis defectu a nobis abires, cuinam mirum sit epistolam quoque nostram tunc defectum fuisse perpessam! Nempe clausulæ in ejus calce duæ quædam solis quartæ lumine defecerunt; re-*

(1) Natus est Marsilius Florentiæ, anno 1433. Pater ejus, qui medicus erat, cupiens illum arti suæ studere, admodum juvenem Bononiam misit. Sed Cosmus, Pater patriæ, cum vidisset adolescentulum, liberalem ejus faciem, licet pusillo corpore semihominem vix æquaret (Paul. Jov., *Elog. doct. vir.*, p. 101), demiratus, ad patrem conversus, dixit: *Tu ci se' stato dal ciel conceduto per curare i corpi; ma cotesto tuo figlio è destinato per certo a curar gli animi.* (Tiraboschi, *Stor. della Lett. ital.*, tom. VI, p. 368.)

(2) Tennemann, trad. de M. V. Cousin, tom. II, p. 15.

(3) In tertio libro *De Vita cœlitus comparanda*, capitulum invenias, *De Virtute verborum atque cantus ad beneficium cœleste captandum*, et alium *De Astronomiæ diligentia in liberis procreandis.*

sumpsit Phœbus suum subito lumen : resumpsit nostra mox epistola finem (1),

Optime nihilominus de philosophia meritus est, omnesque tantam vim inusitati spiritus, et tantas in eo utriusque linguæ facultates mirati sunt. Cosmus primum, et postea Petrus filius, Laurentiusque nepos, honestis ædibus, peramœna villa, sacerdotio, annuisque stipendiis atque muneribus adauxerunt (2). Vir minime ambitiosus, quum unam studiorum laudem spectaret, vixit omnibus amicus, nec ullis unquam contentionibus misceri voluit. Quumque sodalium suorum acerba funera luxisset, Laurentii, Hermolai, Politiani, Mirandulæ, qui eodem fere tempore perierunt, Landinique item et Savonarolæ, in villa Carreggiana septuagenario provectior interiit. Ex tot elogiis quæ de illo vivente aut mortuo facta sunt, hoc Politiani epigramma referre libet, quod gratam arguit in discipulo animi memoriam :

> Mores, ingenium, Musas, sophiamque supremam,
> Vis uno dicam nomine? Marsilius (3).

---

(1) *Epistolarum*, libro VIII. Omne autem quodcumque scripsit Marsilius furore quodam animatur, ac velut ἐνθουσιασμῷ.

(2) Paulus Jovius, *Elog. vir. doct.*, p. 102.

(3) Polit. *Lib. lat. Epigr.* Non semel Politianus de suis magistris magna cum veneratione loquitur : sic in *Appendice Miscellaneorum* : « Etenim ego tenera adhuc ætate, sub duobus excellentissimis hominibus, Marsilio Ficino Florentino, et Argyropulo Byzantio, Peripateticorum sui temporis longe clarissimo, dabam quidem philosophiæ utrique operam; sed non admodum assiduam, videlicet ad Homeri poetæ blandimenta natura et ætate proclivior. »

CAPUT IV.

DE JULIANI LUDIS EQUESTRIBUS CARMEN HEROICUM.

Primam ingenii gloriam sibi comparavit Politianus, decantato Juliani Medicis in ludis equestribus triumpho, ubi tam favente Apolline cecinit, ut Lucam Pulcium, poetam haud ignobilem, omnium confessione superaverit, qui Laurentii fratris ludicrum equestris pugnæ spectaculum iisdem modis et numeris decantaverat (1). De tempore autem, quo Laurentius et Julianus in solemnibus ludis palmam obtinuerint, magna est apud scriptores controversia. Utrum enim duo fratres sibi re bene gesta in eadem pugna famam conciliaverint, apud multos ambigitur. Machiavellius narrat eo ipso anno, qui Cosmi, Patris patriæ, secutus est mortem, solemnes Florentiæ ludos editos fuisse, victricemque palmam Laurentium obtinuisse (2).

(1) *Un' egual vittoria di Lorenzo, fratello di Giuliano era stata con simil metro cantata da Luca Pulci: ma con quanta differenza di bellezze poetiche? Quantunque i due poemi sieno nati quasi ad un tempo, quello del Poliziano, in genere di gusto, sembra posteriore di un secolo.* (Fabroni, *Elog. del Poliziano*, p. 102.)

(2) *Per tor via adunque questo ozio, e dare che pensare a gli uomini qualche cosa che levassero i pensieri dello stato, sendo già passato l'anno che Cosimo era morto, presero occasione, da che fusse bene rallegrar la città, e ordinarono due*

In quo multum errat Historicus; nam certamen equestre, cujus victor fuit Laurentius, ad annum 1468, ut infra videbitur, referendum est.

Nos item de illa re suspensos tenuit Paulus Jovius. In *Elogiis* enim (1), Juliani ludum Laurentiano fuisse posteriorem dicit, proindeque Politianum in carmine celebrando Pulcii exemplum secutum fuisse, dum in Leonis X *Vita* (2), parum curans utrum pugnantia loquatur, priorem a Juliano editum fuisse ludum affirmat. Brutius, se nescire fatetur sintne hi equestres ludi, quorum data occasione, insignem inter alios Juliani, fratris Laurentii, virtutem Angelus Politianus ele-

---

feste (secondo l' altre che in quella città si fanno) solennissime. Una che rappresentava quando i tre magi vennero d'Oriente dietro alla stella che dimostrava la natività di Cristo; la quale era di tanta pompa e si magnifica, che in ordinarla e farla tenne più mesi occupata tutta la città. L' altra fù un torniamento (che così chiamavano uno spettacolo che rappresenta una zuffa di uomini a cavallo) dove i primi giovani della città si esercitarono insieme co i più nominati cavalieri d' Italia; e tra i giovani Fiorentini, il più riputato fù Lorenzo, primogenito di Piero, il quale, non per grazia, ma per proprio suo valore ne riportò il primo onore. (Machiavelli, *Istor. Fiorentine*, lib. VII.)

(1) Paulus Jovius, *Elog. doct. vir.*, p. 88.

(2) *Ejus gloriosi laboris præmium fuit triumphus, Politiani divini poetæ, carminibus celebratus. Nec multo post Laurentius, ut fraternis laudibus æquaretur, novum spectaculum periculosissimæ pugnæ edidit...... Hujus quoque speciosissimi certaminis memoriam Pulcius ipse, Politiani æmulus, perjucundo edito poemate, sempiternum fecit.* (Paulus Jovius, *De vita Leonis X*, lib. I, p. 4, tom. II, Basileæ, 1587.)

gantiore quidem carmine quam vendibili illis temporibus prosecutus fuerit (1).

Sententiæ illorum qui Juliani ludum posteriorem fuisse contendunt favet Tiraboschius (2). Sed in errorem lapsus est dicendo ultra annum 1478, in quo occisus est, Juliani victoriam non esse differendam. Ambiguam rem non multum illustravit Fabronius (3); Menckeniusque, variis de ea re perpensis opinionibus, se non esse eum fatetur qui tantum solvere nodum possit (4). Anteriorem fuisse Laurentianum ludum affirmant Crescimbenius (5) et Quadrius (6).

Ut autem optime animadvertit Roscoœus (7), omnem de ea re tollunt dubitationem ipsa Pulcii carmina. Pulcius enim, in suo de Laurentii certamine equestri poemate, non solum annum, sed etiam ipsam diem, quo ludus ille fuerit editus, manifeste declarat. Quæ dies fuit septima februarii, anno 1468 (8). Julianus eo tempore

(1) *Historia Florentina*, lib. II.

(2) *Storia della lett. ital.*, tom. VI, p. 817.

(3) *Laurent. Med. vita*, vol. I, p. 20.

(4) Page 44.

(5) Crescimbeni, *Comentari intorno all' istoria della volgar poesia*, vol. I; lib. III, p. 202, ediz. Veneta.

(6) Quadrio, *Della storia e della ragione d' ogni poesia*, tom. II, part. II, p. 244, Bologna, 1739.

(7) *Vie de Laurent de Médicis, traduite par Thurot*, chap. II, p. 113, Paris, an VII.

(8) L' anno correva mille quattrocento
E sessant' otto dall' Incarnazione,

annum decimum sextum agebat, interque cataphractos equites qui, ad veri certaminis imaginem conglobati, confertis turmis libero in campo dimicabant, armorum, ut ita dicam, primitias fecit (1). Julianum autem fortitudinem suam in alteram diem servavisse ex Pulciano carmine concludere licet (2).

Præterea, in Politiani poemate argumentum sufficiens invenias ut Juliani ludum equestrem haud multo post illum Laurentianum editum fuisse asseverare possis. Etenim pauci inter duo certamina effluxere dies aut menses, cum ibi videatur Laurentium nondum uxorem duxisse, nuptiasque ejus aliquot dumtaxat mensibus, post suam in illo prælio victoriam, celebratas fuisse (3). Igitur ex Politiani poemate, et ipsius verbis Laurentii, tempus quo Julianus proprios

---

Ed ordinossi per mezzo gennajo,
Ma il settimo di fessi di febbrajo.
(Luca Pulci, *Giostra di Lorenzo.*)

(1) Poi seguitava il suo fratel Giuliano
Sopra un destrier d' acciajo coperto.
(*Ibid.*)

(2) Digli che son per Giulian certi squilli
Che deston come carnasciale il coruo
Il suo cor maguo all' aspettata giostra,
Ultima gloria di Fiorenza nostra.
(*Ibid.*)

(3) Sic legitur in Laurentii commentariis: *Jo Lorenzo tolsi donna Clarice figliuola del sig. Jacopo Orsini, ovvero mi fu data di decembre* 1468, *e feci le nozze in casa nostra a di* 4 *di Giugno* 1469. (*Roscoe, Vie de Laurent de Médicis*, Append. du 1er vol., n° XI.)

ediderit ludos, inter menses februarium et decembrem anni 1468, definiri debet. Tunc vero Angelus vix annum decimum quintum attigerat (1).

Haud dictu facile esset quantam novo illo et illustri carmine gloriam sibi pepererit Politianus. Res equidem digna miratione, potuisse, in tam juvenili ætate, unum ex elegantissimis quibus glorietur Italia poesis carminibus producere, et eo ipso tempore quo nondum, ut justissime advertit Tiraboschius (2), illi qui felicissime bonis artibus studuissent, antiquitatis horridiorem cultum exuere nequiverant, adolescentulum fecundo ingenio permisisse habenas, sublimique volatu ad summa Parnassi cacumina fuisse elatum! In suum carmen, ut ait Jovius (3), Græcis atque Latinis delectos flores populo stupendos Politianus contulisse censebatur. Quis enim tam barbarus, miranda illa carmina legendo, maxima non adficeretur admiratione? In quibus omnia sunt laudanda, et ars compositionis, et docta rerum altitudo, verborumque elegantia et lepor! Etsi verum foret, ut notat Fabronius, nimiam esse in Politiani carminibus dicendi lasciviam et luxuriem, non ideo minus admirabilia essent

(1) Frustra doctissimus noster Ginguené, teneriorem Angeli ætatem respiciens, carmen heroicum ad annum 1478 differt. (*Hist. littér. d'Italie*, chap. XXII.) Nihil enim valent conjecturæ quibus nititur contra factorum certissimam fidem.

(2) *Storia della lett. Ital.*, tom. VI, p. 827.

(3) *Elogia doct. vir.*, p. 88.

styli concinnitas et curiosa felicitas, et figurarum copia quæ carminibus dignitatem afferunt et amplitudinem. Ipsa florum exuberantia et præcox fecunditas, quot fructus, si fata dedissent, sperare nos jubebat! Illa Politiani carmina, inter celeberrima quæ, post renatas litteras, Minerva favente composita sunt poemata, nemine obstante, adnumerata semper fuerunt; tantumque postea Torquato Tasso, Mæonii carminis aliti, et incomparabili Ariosto probata fuerunt, ut versus aliquot integros in sua ipsorum poemata transferre non dubitaverint (1).

---

(1) *Tanto piaceva l' opera del Poliziano allo stesso cantore del pio Goffredo, che non dubitò di transportare nel suo poema alcuni versi della medesima.* (Fabroni, *Elogio del Poliziano*, p. 100.)

En tibi aliquot exempla quæ, ut fors obtulit, hic referimus :

I.

Come orsa che l' alpestre cacciatore
Ne la pietrosa tana assalit' habbia,
Sta sopra i figli con incerto core
E freme in suono di pietà e di rabbia.
(Ariosto, cant. XIX, st. 7.)

Qual tigre, a cui della pietrosa tana
Ha tolto il cacciator suoi cari figli :
Rabbiosa il segue per la selva Ircana,
Che tosto crede insanguinar gli artigli.
(Poliziano, lib. I, st. 39.)

II.

Chiama gli abitator dell' ombre eterne
Il rauco suon della tartarea tromba;
Treman le spaziose atre caverne,

E l' aer cieco a quel romor rimbomba;
Nè si stridendo mai dalle superne
Regioni del cielo il folgor piomba.
(Tasso. Cant. IV, st. 3.)

Con tal romor, quando l' aer discorda
Di Giove il foco d' alta nube piomba:
Con tal tumulto, onde la gente assorda,
Dall' alte cataratte il Nil rimbomba;
Con tal orror del latin sangue ingorda
Sonò Megera la tartarea tromba.
(Poliziano, lib. I, st. 27.)

Rendono un alto suon che a quel s' accorda
Con che i vicin cadendo il Nilo assorda.
(Ariosto.)

III.

La regia casa il sereno aer fende
Fiammegiante di gemme e di fin oro.
(Poliziano, lib. I, st. 95.)

Sorge un palazzo in mezzo alla verdura
Fiammegiante di gemma e di fin' oro.
(Ariosto.)

CAPUT V.

LIBER GRÆCORUM EPIGRAMMATUM; ALIA QUÆDAM OPUSCULA GRÆCA.

Ea ergo ætate, qua cæteri pene omnes adolescentuli puerilibus in nugis dies consumunt, aut segni laborantes pigritia, magistri monstrantis viam haud passibus æquis vestigia sequuntur, Politianus, felicissimis naturæ dotibus ornatus et excellens, vulgari sermone Arnenses musas colebat, immortale poema condebat, et in vernacula poesi, si fata, si Græcæ Latinæque musæ dedissent, post divinum Aligherium, spes erat altera Florentiæ (1). Sed miro antiquitatis amore incensus, totus in latinas, aut exulantes et adventitias, eversa Constantinopoli, græcas litteras incubuit, nec multo post admirabili in utroque sermone

(1) Partam elegantissimo de Juliani ludis equestribus carmine gloriam auctiorem ampliorenque fecit Angelus, epithalamio in nuptiis Laurentii Medicis et Clarices e gente Ursina natæ composito, si Varillasio, dubiæ aut nullius fidei scriptori, credere velis : *Il y eut force épithalames, entre lesquels celui d'Ange Politien, qui n'étant que de l'âge du marié, fesait des vers dignes du siècle d'Auguste, fut le mieux reçu.* (Varillas, *Anecdotes de Florence*, liv. I, p. 40.) Solus quidem Varillasius. Neque enim Machiavellius in *Hist. Flor.*, lib. VII, p. 418, neque alii plures, quibus de ista nuptiarum solemnitate dictum est, ullam hujus epithalamii mentionem faciunt. (Menckenius, p. 33.)

peritia, omnium oculos in se convertit, adeo ut Græciam nonnullis videretur habuisse nutricem, vel dictionis gravitate Græcos superare (1).

De græcis epigrammatis in diversum tendunt scriptorum sententiæ. Quorum judicium hic placet referre, ut videas quam sit difficile omne ferre punctum, omniumque applausus obtinere. « Græcis epigrammatis, ait Julius Cæsar Scaligerus (2), quæ puerum se conscripsisse dicit, ætatem minus prudenter apposuit suam. Tam enim bona sunt, ut ne virum quidem latina æque bene scripsisse putem. « Non ita sentit Julii Cæsaris filius, Josephus Scaligerus. « Poteramus, inquit, et edere nostra, appositis ætatis annis, ut fecit Politianus in suis græcis poematiis, quæ præter pauca digna erant, quæ in adolescente potius amaremus, quam quæ a seniore Politiano venditarentur (3). »

Gaspardus Scioppius affirmare non dubitat græcos versus ea elegantia scripsisse Politianum, ut Græcorum nemini priores relinquere judica-

(1) Ea erat Pici Mirandulæ sententia. En ipsius verba : *Tu ita utrumque imples, ut utrum magis haud statis constet; quum et Græcam et nostram Minervam ita pulchre amplectaris, quasi cinnus utriusque linguæ, ut quæ insititia sit, quæ genuina, non facile discerni possit.* (Polit. Epp., lib. I, p. 8.)

(2) *Poetices libri septem*, lib. VI, *Hypercriticus*, p. 739, in Bibliopolo Commeliano, 1617.

(3) *Epistol.*, lib. I, p. 1, *Lugduni Batavorum*, 1627. Non fuit autem Jos. Scaligerus optimus de Græca poesi judex. Poemata enim ejus multis dedecorantur mendis, quæ accuratissime notavit Moneta. (La Monnoye, *Menagiana*, I, p. 325-33, in edit., an. 1715.)

Sibi etiam Joannis secundi, Lusitaniæ regis, gratiam Politianus conciliavit. Cui cum in historia regni ejus componenda operam suam ultro obtulisset Angelus (1), modestissimam simul et urbanissimam epistolam rescripsit Joannes : « Scies nos tui officii et pii laboris esse admodum gratos; idque amplectimur, vehementerque laudamus. In cujus executionem curabimus diligenter, ut annales nostri, quos vulgari et patrio sermone pro regni instituto posteris tradendos jubemus, hi etrusca lingua, vel latina saltem familiari demum conficiantur, ad te scilicet quam primum deferendi, ut eos juxta veritatis tenorem, nostram in memoriam, ita tuis salibus, et gravitate, doctrinaque respergas, limaque expolias, ut saltem tua conjuvante facundia, lectione dignos efficias (2) ». Quam epistolam, Joannes, Portugalliæ et Algarbiorum rex citra et ultra mare in Africa, dominusque Guineæ, Angelo Politiano, mittebat, *viro peritissimo*, *et amico suo.*

---

(1) *Quapropter delegetur, obsecro, magne Rex, idoneis hominibus officium mandandi litteris, interim quidem quocumque stylo, quacumque lingua, materiam segetemque rerum a te tuisque gestarum; sed in qua deinceps operosius excolenda, tum cæteri quibus est idem ardor animi, quam nos ipsi quoque, nervos qualescumque nostros intendamus.* (Polit. Epp., lib. X, 1.)

(2) Polit. Epp., lib. X, 2.

CAPUT XV.

[illegible]US PHILOSOPHIÆ PROFESSOR ET CIVILIUM LEGUM PERITUS.

[illegible] ita pridem Florentiam reversus fuerat [illegible]s Picus Mirandulanus, totius philosophiæ consultissimus (1), etiamque varia linguarum litteratura et omnibus artibus honestis supra veri fidem munitus atque instructus. Qui Politianum, quem sibi studiorum prope assiduum comitem adlegerat, instituit ad philosophiam, non ut antea somniculosis, sed vegetis vigilantibusque oculis explorandam, quasi quodam suæ vocis animare classico (2). « Nec sane mirandum est, exclamat Nicolaus Leonicenus, te unum esse per-

(1) *Joannes Picus Mirandulanus merito cognomine Phœnix appellatus est, quod in eum Dii superi, supra familiæ claritatem, omnis corporis ac animi vel rarissima dona contulerint. Mira enim altitudine subtilis ingenii, decora facie, lectissimisque moribus, et incomparabili quum disputaret aut scriberet facundia, omnes ejus seculi sapientes in admirationem sui facile convertit.* (Paulus Jovius. *Elog. doct. vir.*, num. XXXIX, p. m. 92.) *Vir unus an heros potius, omnibus fortunæ, corporis animique dotibus cumulatissimus, utpote forma pene divina, juvenis, et eminenti corporis majestate, perspicacissimo ingenio, memoria singulari, studio infatigabili, tum luculenta uberique facundia, dubium vero judicio mirabilior an moribus.* (Politianus, *in fine Miscellaneorum.*)

(2) Politianus, *in fine Miscellaneorum.*

paucorum qui ætate nostra eloquentiam cum sapientia junxerunt, cum in ejusdem sapientiæ studio habeas ducem ac comitem divino virum ingenio, Joannem Picum Mirandulanum nostrum, cum quo dies ac noctes, in omni doctrinarum meditatione versaris (1).

Quæ communia Joannis et Angeli studia magnam sane litteris utilitatem habuerunt. Assiduo enim propemodum summorum tractatu auctorum, uterque omni doctrina ornatissimus evasit (2). Sed de Politiano tantum nobis dicendum est; qui non solum in poesi humanisque litteris clarum sibi fecit nomen, primusque fuit qui varios auctores emendare cœperit (3), sed etiam philosophiæ studium feliciter hausit (4), et in jure canonico civilibusque legibus versatus fuit (5). In jure enim canonico, ad gradum doctoris honorifice promotus est, et in jus civile Romanorum commentarios quosdam multis vigiliis elucubravisse nos ipse docuit. «Principio igitur scire te illud opinor Imperatorem Justinianum, posteaquam jus civile

(1) Polit. Epp., lib. II, 7.

(2) Fran. Robortellus., *De arte sive ratione corrigendi veteres auctores disputatio.* Patavii, 1557.

(3) Gaspardus Scioppius. *De arte critica*, pag. 6, Amstelodami, 1662.

(4) *Sed prius tamen philosophiæ satisfaciendum, cui nunc totos, ut scis, penitusque nos tradidimus.* (Politianus Jacopo Modesto Pratensi, Epp., lib. V, 9.)

(5) Crescimbeni, *Comentari intorno all' istoria della volg. Poes.*, vol. 2, par. 2, lib. 4. — Vide etiam Fr. Xav. Quadrium, *Storia e ragione d'ogni poesia.*, vol. II, pag. 215.

perpurgavit, in ordinemque redegit, cavisse illud in primis, ut in omnibus civitatibus, quæ dignitate aliqua præcellerent, exemplaria legum quam emendatissima publice asservarentur...... Sed nullum ex his clarius tamen aut celebratius, quam quod ad usque urbis ejus captivitatem, Pisis magna religione sit custoditum...... Hoc ergo mihi inspicere per otium licuit, rimarique omnia et olfacere, quæque vellem excerpere diligenter, et cum vulgatis exemplaribus comparare. Tribuit nam hoc mihi uni Laurentius ille Medices, vir optimus ac sapientissimus, fore illud aliquando arbitratus, ut opera, labore industriaque nostra, magna inde omnino utilitas eliceretur (1).

Nomen vero jurisconsulti nunquam affectavit

---

(1) Polit. Epp., lib. X, 5. — Si Gibboni credimus, nimius fuit antiquitatis admirator Politianus, cum diceret exemplar Pisanum esse illud ipsum, quod inter cæteros publicaverit Justinianus. « *Ce paradoxe*, dit-il, *se réfute de lui-même par les abréviations qui se trouvent dans le manuscrit Florentin, et par les caractères latins dont la forme décèle la main d'un copiste grec.* (*Histoire de la décadence de l'Empire romain*, liv. XLIV.) Sed Politianus diligentissime librum rimatus fuerat, quem latinum esse affirmat. « *Est autem liber characteribus majusculis, sine ullis compendiariis notis; nec græcus, sed latinus.* » (Polit. Epp., lib. XI, 25.) — *Cet ouvrage en deux volumes écrit sur du velin très-fin fut déposé*, dit Gibbon d'après l'autorité de Brenckmann (*Hist. Pandect. Florent. Lib. I.*) *dans une cassette magnifique, dans l'ancien palais de la république; les moines et les magistrats, la tête nue et un cierge à la main, le montraient aux voyageurs curieux de le voir.* Ibidem.

Politianus; nec defuerunt qui eum ne primis quidem legum romanarum elementis satis eruditum existimarent. Si tamen veritati locus detur, multum ei debere Justinianeas leges, æquiores rerum æstimatores facile intelligent. Menckenium audiamus strictim exsequentem quæ in hoc genere studiorum Politianus præstiterit : « Nam græca tantum Institutionum Justiniani paraphrasis, concinnata olim a Theophilo, sed prorsus ad hunc usque diem incognita, primum hunc præconem habuit, primusque ipse ejusdem imperatoris Pandectas cum Florentino codice, venerando antiquitatis monumento, contulit, et quæ diversa is ab editis haberet, selegit diligenter, quæque græca in his legerentur, latine reddere tentavit. Versatissimus etiam fuit in antiqui Romanorum juris historia, et criticis minimeque spernendis universum jus civile annotationibus illustravit (1)».

(1) Menckenius, *Ang. Polit. vita*, pag. 266. — Hæc mihi Menckenii nota maximi fuit pretii. Duos enim fontes adire non potui, unde multa sine dubio hausissem de Politiani juris civilis peritia. Hi sunt : 1° *Ragionamento istorico sopra le collazioni delle Fiorentine Pandette, fatte da Angelo Poliziano, sopra gli auspicj del Mag. Lorenzo de' Medici, etc. Livorno*, 1762, *dal Canonico Angelo Maria Bandini, in-4*. 2° *Henrici Brencmanni, clarissimi olim Ultrajectinorum jureconsulti ad Cornelium de Bynckershoek epistolæ, Florentiæ anno* 1710 *scriptæ*. Hæ litteræ de vita et meritis Politiani commemorant bona multa ac singularia, nec in ipsa historia Pandectarum Brencmanniana, cujus tamen caput integrum de rebus Politiani ample et copiose agit, diligenter exposita. Quarum apo-

Ut autem ad philosophiam deveniamus, non solum antiquis sapientiæ libris operam dedit Politianus, ut luci quam emendatissimi tandem redderentur, sed etiam, magna favente audientium corona, Academiæ Lyceique doctrinam publice exposuit, dignumque se ostendit Ficini et Argyropuli discipulum (1). Hoc munere multos per annos functus est, nunc hos nunc illos Platonis vel Aristotelis libros eloquenti copia explanans, scholasticorum et doctorum movens admirationem. Sed mihi in universum æstimanti magis ad Aristotelem delapsus fuisse videtur. Sæpius enim Peripateticas tentavit chartas. « Narrabas mihi superioribus diebus, inquit Joannes Picus, quæ tecum de Ente et Uno Laurentius Medices egerat, cum adversus Aristotelem, cujus tu Ethica hoc anno publice enarras, Platonicorum innixus rationibus, disputaret (2). »

---

graphum cum esse in manibus Alexandri Politi, græcarum litterarum in Academia Florentina professoris, intellexisset frater quidam Menckenii, ab hujus facile humanitate impetravit, ut illarum sibi copiam faceret, nec legendas tantum, sed transcribendas mittendasque Menckenio Lipsiam permitteret. (Menckenius, *Ang. Polit. vita,* in præfatione.)

(1) *Etenim ego tenera adhuc ætate, sub duobus excellentissimis hominibus, Marsilio Ficino Florentino, cujus longe felicior quam Thracensis Orphei cithara, veram, ni fallor, Eurydicen, hoc est amplissimi judicii Platonicam sapientiam, revocavit ab inferis, et Argyropulo Byzantio, Peripateticorum sui temporis longe clarissimo, dabam philosophiæ utrique operam* (Polit. in fine *Miscellaneorum.*)

(2) Joannis Pici Mirandulani opera quæ exstant omnia, Basileæ, anno 1519, in *procemio de Ente et Uno.*

Sed omnis illa fere Politiani philosophantis eloquentia nunc perdita desideratur. Obmutuit illa vox plena et rotunda quæ sapientiam decantare videbatur. Ubi nunc sunt illi plaudentium docti fremitus, et omnis ætatis hominum ad scholam concursus, et longi post auditum magistrum sermones, et incitatæ disputationes, et Politiani domum magna stipante caterva revertentis triumphans incessus? Quæ omnia evanuerunt, nihilque ex illis retinemus nisi vanam memoriam, et quædam, de quibus perpauca dicemus, opuscula aut prælectiones.

Quæ autem inscribitur *Lamia* prælectio in priora Aristotelis Analytica, nescio an philosophiæ laudem contineat aut reprehensionem. Adeo faceta ubique oratio est! in qua paulisper fabulatur, licet ex re, philosophus. Et quemadmodum a fabella incipit, Lamiarum scilicet Politianum, nugatorem illum, sic repente philosophum prodiisse mirantium, ita desinit in fabellam, qua noctuas cum philosophis componit. Horatianam mihi videtur redolere festivitatem, quæ ridentem dicere verum non vetat. Nullo modo tamen admittere possum cum Politiano legitimos philosophos albis corvis esse rariores.

Libros Aristotelis de Moribus interpretaturus, Politianus in prælectione, cui titulus *Panepistemon*, a principio statim philosophiam ipsam velut in membra partitur. Non disciplinæ modo, et artes vel liberales quæ dicuntur, vel machinales, sed etiam sordidæ illæ, ac sellulariæ, quibus tamen vita indiget, intra illius ambitum

distributionis colliguntur, a theologia scilicet usque ad artem coquinariam. Opus sane arduum, nec ab ullo antea tentatum! In quo tamen mihi videtur Angelus utiliter suum tempus non collocavisse, licet dividat singula prope minutatim, omniaque, ut ipse dicit, in summam summarum redigat, quo possit unumquodque vel facilius percipi, vel fidelius retineri.

Brevissimum est opusculum *De Ira*, seu potius epistola ad Laurentium, in qua Noster iram in pueris optimæ sæpe indolis esse argumentum demonstrandum suscipit. Cum enim Petrus, Laurentii filius, iram ex increpatione acceptaque ignominia olim collegisset, Angelus eam minime improbandam esse præ se tulerat. Itaque ut judicii sui rationem redderet, paucis ea de re cum Laurentio per litteras disputavit.

Utilitatem profecto majorem, sed multo minores aut fere nullas veneres invenias in prælectione quæ dicitur *Dialectica*. Ibi quidem præceptorum juncturam et seriem quibus Dialectica constat frustra quæreres; is enim non fuit scopus Politiani. Sed enarrationum suarum compendium et programma, ut aiunt, dare Politianus voluit « Nam cum proximo biennio, præter Porphyrii communes quinque voces, etiam Aristotelis ipsius decem summa rerum genera, hoc est, ut quidam ait, decem naturæ verba, librumque de Elocutione singularem, prioresque duos qui Resolutorii dicuntur, et extra ordinem de cavillorum præstigiis unum publice interpretati sumus, supersint duo posteriores, cum quibus hoc anno luctabi-

mur, et de argumentorum sedibus octo, quibus tota disputandi ratio continetur, facturus operæ pretium videor, si prælectione dumtaxat unica rerum capita ipsa, quas aut hactenus enarravi, aut ad enarrandum deinceps accingor, brevi quadam velut enumeratione sub oculos constituero (1).» Ex quibus plane confirmantur quæ supra diximus, Politianum scilicet Peripateticis adscribendum esse, si ad argumenta et methodum spectaveris; si autem ad verborum majestatem et sermonis abundantiam, illum Platoni propiorem facile dixeris.

---

(1) Politiani, *Dialectica*, *in principio.*

CAPUT XVI.

MISCELLANEA ET VARIÆ PRÆLECTIONES LITTERARIÆ.

Laurentius Medices, maximus ea tempestate studiorum patronus, missis per universum terrarum orbem nunciis, in omni disciplinarum genere libros summa ope conquirebat, ut sibi, ac reliquis præclaris ingeniis, bonarum artium studia æmulantibus, instrumenta abundantissima pararet. « Audivi te referente, inquit Nicolaus Leonicenus, vocem illam præclaram ex Laurentii ore prodiisse, optare tanta sibi abs te, et Pico nostro ad libros emendos præstari incitamenta, ut tandem deficientibus sumptibus, totam supellectilem oppignerare cogatur (1). Usque ad vitæ finem eodem flagravit studio Laurentius, cumque jam extremos traheret spiritus, nonnihil cum Politiano Picoque etiam tunc jocatus est : « Vellem, ait, distulisset me saltem mors hæc ad eum diem quo vestram plane bibliothecam absolvissem (2). »

Magnam profecto in colligendis veterum monumentis operam Laurentio navaverunt Hierony-

(1) Polit. *Epp.*, lib. II, 7.
(2) Polit. *Epp.*, lib. IV, 2.

mus Donatus (1), Hermolaus Barbarus (2), Paulus Cortesius et Joannes Lascaris(3), qui duas in Orientem longinquas suscepit peregrinationes, ut docta antiquitatis monumenta, si qui forent post hor-

(1) *Enituit in Hieronymo Donato, patricio Veneto, supra oris atque staturæ dignitatem, senatoria prudentia singularis, præcellenti doctrinæ præsidio, et multo rerum usu constituta.* (Paulus Jovius, *Elog. doct. vir.*, num LVI, p. m. 132.)

(2) Hic habes Hermolai epitaphium quod in sepulchri decorationem composuit Latomus:

Quid stas, et titulum stupes, viator,
Hoc sub saxo aliquem ratus sepultum
Gallum, Theutonicum, Scotum vel Anglum,
Gentes quas modo Barbaras vocamus?
Erras; Barbarus Hermolaus ille,
Ille Barbarus, utriusque linguæ
Venus, deliciæ, lepor, voluptas,
Quo nemo melius tenebat omnes
Germanæ numeros locutionis,
Hoc sub marmore, nunc cinis, recumbit.
At non mortuus: imo mortis ipso
Victurus scelere, usque, et usque, et usque,
Rumpatur Venetus licet senatus.
At si te novitas moratur hujus
Vocabuli, ratione scito factum.
Ut suos domini solent Quirites
Insignire duces, ut Africanos,
Cimbros, Pannonicos Isauricosque,
Victarum puta gentium trophæis;
Sic et Barbarie per hunc latinis
Pulsa finibus, et jugum subacta,
Jure Barbarus optimo vocatur.
(Paul. Jov., *Elog. Doct. vir.*, num. xxvi, p. m. 85.)

(1) *Johannes Lascares, Græcorum fere omnium, qui Othomannicis armis patria pulsi in Italiam confugerunt, nobilissimus atque doctissimus fuit.* (Paulus Jovius, *Elog. doct. vir.*, num. XXXI, p. m. 73.)

rendam Turcarum evastationem superstites libri, pius colligeret, Florentiamque reportaret. Porro ipsos venaticos canes dixisses, quemadmodum ait Fabronius, ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut ubicunque quid rari esset, aliqua ratione invenirent atque compararent!

Primæ autem in hoc etiam Politiano nostro debentur. Ac ne credas nimia nos Angeli admiratione abreptos, majorem illi ultraque fines veritatis laudem tribuere, quædam placet hic cujusdam excerpta epistolæ referre, quam Politianus Venetiis ad Laurentium mittebat. Vulgari lingua utitur Angelus, non paucis immixtis latinis locutionibus : « *Magnifice patrone, da Ferrara vi scripsi l'ultima. A Padova poi trovai alcuni buoni libri, cioè Simplicio sopra il cielo, Alexandro sopra le topica, Giovan grammatico sopra le posteriora e gli Elenchi, uno David sopra alcune cose di Aristotele, li quali non abbiamo in Firenze. Ho trovato ancora uno scriptore græco in Padova, e facto el pacto a tre quinterni di foglio per ducato.*

Maestro Pier Leone mi mostrò, e libri suoi, tra li quali trovai un M. Manilio astronomo e poeta antico, el quale ho recato meco in Vinegia, e riscontrolo con uno in forma che io ho comprato. È libro che io per me non ne viddi mai piu antichi. Similiter ha certi quinterni di Galieno de dogmate Aristotelis et Hippocratis in græco.

In Vinegia ho trovati alcuni libri di Archimede e di Herone, mathematici che ad noi mancano, et uno Phornuto de Deis, e altre cose buone.

Nec solum libros, sed etiam professores conqui-

rebat : *M. Piero Leoni è stato in Padova molto perseguitato, e non è chiamato, nè quivi, nè in Vinegia, a cura nissuna. Pure ha buona scuola, e ha la sua parte favorevole: hollo fatto tentare dal conte del ridursi in Toscana. Credo sarà in ogni modo difficil cosa. Negat se velle in Thusciam agere. Nicoletto verrebbe a starsi a Pisa, ma vorrebbe un beneficio, hoc est, un de quelli canonicati; ha buon nome in Padova, et buona scuola. Pure, nisi fallor, è di questi strani fantastichi; lui mi ha mosso questa cosa di beneficii : siavi adviso* (1).

Tot rarissimos libros assidua manu pertractans, Miscellaneorum materiem Politianus congerebat (2). Quam inexhausta ejus fuerit legendi scriptores veteres cupiditas, quantumque ex eorum lectione doctrinam suam locupletaverit, vel sola loquuntur ejus Miscellanea, immensæ eruditionis opus; quod si diligentius pervolutaveris, latissimum tibi universæ fere doctrinæ elegantioris campum reclusum dices (3). « Primus autem, ait Scioppius, Angelus Politianus varios scriptores emendare cœpit, edito præclaro Miscellaneorum

---

(1) Quæ epistola apud Fabronium exstat et Roscoæum; eam in appendicibus nostris referimus, n° VIII.

(2) Miscellanea primum in lucem prodiere Florentiæ, ex typis Antonii Miscomini, cum singulari hac inscriptione: *Impressit ex archetypo Antonius Miscominus, familiares quidam Politiani recognovere, Politianus ipse nec horthographiam se ait, nec omnino alienam præstare culpam. Florentiæ anno salutis* M. CCCC. LXXXIX.

(3) Menckenius, p. 58.

opere (1). Cum doctis Auli Gellii Noctibus aliquam similitudinem habere Politiani opus judicabat Andreas Magnanimus, ut videre est in ipsius Angeli epistola, Florentiæ scripta, anno 1489: « Quod Miscellaneis nostris ita faves, ut Atticis quoque Noctibus eas compares; equidem vellem minus vulgo humanus habereris, ut non ex ingenio tuo semper ad officium parato scribi talia, sed ex operis ipsius merito crederetur (2). »

Sed Marsilium audiamus, pleniori voce, ut solet, resonantem: « Tu vero, Guicciardine carissime, ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem arcessito. Hercules quondam, ubi periculosius certandum foret, vocitabat Jolaum; tu nunc similiter Herculem. Nosti profecto, quot barbara monstra, Latium jam devastantia, Politianus Hercules invaserit, laceraverit, interemerit, quam acriter expugnet passim, quam tuto propugnet. Hic ergo vel centum Hydræ capita, nostris libris minitantia, contundet statim clava, flammisque comburet (3). »

Vix primam Miscellaneorum centuriam spectandam publice amicis aliquot exhibuerat Politianus, cum subito in vulgus emanavit fabula, nihil esse mirum, si quædam nova et insignia vel antea dictasset Angelus, vel nunc referre in

(1) Gaspardus Scioppius, *De Arte critica*, p. 6, Amstelodami, 1662.

(2) Polit. *Epp.*, lib. IV, 12.

(3) Marsilius Ficinus, *in Apologia, libris de tuenda valetudine subjecta.*

litteris inciperet; olim jam isthæc omnia diligentissime perscripta a Nicolao Perotto, qui fuisset Sipontinus pontifex, in eo maxime libro, cui titulum fecisset *cornu copiæ*, cujus, per Laurentium, apud Urbinatem Ducem, archetypum vidisset Politianus. Noster autem, calumnia per Salviatum, amicum officiosissimum (1), renuntiata, cum sibi conscius esset se alienis plumis, ut alterum Æsopi graculum, non superbire, Miscellanea seposuit paululum, donec in lucem ederetur Cornu copiæ. Ipsum Politianum audire operæ est pretium. «Sed ecce interim repente Cornu istud in vulgus. Fit concursus. Est in manibus. Effunditur. Excutitur. Quid multa? Calumnia me liberat. Vidisses continuo nonnullorum vultus lugubre quiddam tacentes (2).» Miscellaneorum hanc centuriam primam Laurentio adscripsit Angelus. Adscripsit autem, non magis adeo ut se gratum beneficiis ejus approbaret, quam ut debitum solveret. Auxiliarium enim et consiliarium habuerat Politianus Laurentium, cui Miscellanea sæpius, cum in Fæsulanum irent, inter equitandum recitaverat (3).

Quædam ad nos præterea pervenere Politiani prælectiones litterariæ, in quibus tanta eminet

(1) *Nec enim plures Jasoni et Cadmo satu dentium nati sunt hostes, quam mihi satu Miscellaneorum nati amici.* (Polit. *Epp.*, lib. IV, 5.)

(2) Politianus, *in fine Miscellaneorum.*

(3) Politianus, *in præfatione Miscellaneorum.*

excellentia doctrinæ, tantum prudentis acumen judicii, ut nihil fortasse par aut etiam propinquum invenias. Talis est ea in Homerum præfatio, in qua Politianus primum de auctore, tum de opere ipso carptim breviterque dicit, planumque facit neque ullum unquam exstitisse ingenium Homerico majus, neque opus aliquod exstare humanum, quod sit Homericæ poesi anteferendum. Nec minorem in oratione super Fabio Quintiliano et Statii sylvis elegantiam demireris. Præfatio in Suetonii expositionem præclaras historiæ laudes continet, et ipsius Tranquilli brevissimam quidem sed luculentam vitam. Quam autem in Persii expositionem enarravit prælectio, satiræ originem demonstrat, Fescennini versus mordacitatem, satyricarum et atellanarum differentiam, et de Lucilio poeta quædam accuratissima; in qua tamen errat Politianus, cum satiram sic dictam arbitratur ab antiquæ illius græcæ fabulæ argumento, quod in hac quoque ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ veluti a satyris proferuntur et fiunt.

Ut absolutam tibi Politiani operum offeramus seriem, quatuor orationes tantum memorabimus: primam pro oratoribus Senensium ad Alexandrum sextum Pontificem maximum, « cujus et prudentiam et virtutem diu Romana respublica Ecclesiaque maximis arduisque in rebus experta admirataque semper est (1); » secundam pro ora-

(1) Politianus, *in principio Orationis Senensium.*

toribus Florentinorum ad Alfonsum Siciliæ regem, in obitum Ferdinandi; tertiam pro iisdem ad eumdem regnum auspicantem; quartam denique pro Prætore Florentino ad Dominos ineuntes summum magistratum. In quibus omnibus grave rerum pondus et verborum concinnitatem laudabis, moderationem in laudando desiderabis.

Sæpe etiam excusos formis libros cum antiquis exemplaribus studiose Politianus conferebat; qui quidem, ut erat diligens et accuratus, ita posse bonos auctores multis maculis purgari vere existimabat. Quæcumque igitur in priscis exemplaribus inveniebat, in impressis sedulo adnotabat. «Quod si diutius ille vixisset, inquit Robertus Stephanus, et quæ mente destinaverat perficere potuisset, opera sedulitasque ipsius magnos studiosis litterarum fructus attulisset, multosque qui postea huic muneri corrigendorum librorum necessario incubuerunt, magna prorsus molestia liberasset (1).» Præcipui auctores, quos sic emendavit annotavitque sunt Ovidius (2), Suetonius (3), Statius (4), Plinius Junior (5), Historia augusta (6) et Quintilianus (7).

---

(1) Robertus Stephanus, *in Præfatione Catonis, Varronis et Columellæ*, Paris, 1543.

(2) In bibliotheca Marciana.

(3) In Laurentiana, plut. LXIV, cod. 1.

(4) In bibliotheca Corsiniana, Romæ.

(5) In Laurentiana, plut. LXVII, cod. 7.

(6) Ibidem, eodem pluteo, cod. 1.

(7) Ibidem, plut. XLVI, cod. 5.

Angelus ergo, græco et latino instructus eloquio, et in vulgari lingua primus aut inter primos annumerandus, grammaticus celeber, philosophus, orator et poeta insignis, eruditione et doctrina Italiam illustravit; antiquis suppar, mea quidem sententia, et tua fortasse, cum sequens, in Horatianam Landini editionem, Horatio dignissimum carmen attente legeris (1):

Vates Threicio blandior Orpheo,
Seu malis fidibus sistere lubricos
Amnes, seu tremulo ducere pollice
  Ipsis cum latebris feras;

Vates Æolii pectinis arbiter,
Qui princeps Latiam sollicitas chelyn,
Nec segnis titulos addere noxiis
  Nigro carmine frontibus;

Quis te a Barbarica compede vindicat?
Quis frontis nebulam dispulit, et situ
Deterso, levibus restituit choris
  Curata juvenem cute?

O quam nuper eras nubibus, et malo
Obductus senio! Quam nitidos ades
Nunc vultus referens, docta fragrantibus
  Cinctus tempora floribus!

Talem purpureis reddere solibus,
Lætum pube nova, post gelidas nives,
Serpentem, positis exuviis, solet
  Verni temperies poli.

(1) Hæc ode in operibus Politiani non occurrit; quam hic referimus secundum Landinianum Horatium, Venetiis, 1483.

Talem te choreis reddidit et lyræ
Landinus, veterum laudibus æmulus,
Qualis tu solitus Tibur ad uvidum
   Blandam tendere barbiton.

Nunc te deliciis, nunc decet et levi
Lascivire joco, nunc puerilibus
Insertum thiasis, aut fide garrula
   Inter ludere virgines.

CAPUT XVII.

POLITIANI AMICI. EJUSDEM ET LAURENTII FAMILIARITAS. DE VILLA FÆSULANA.

Quam multi fuerint Politiano amici notum nobis faciunt duodecim Epistolarum libri, quas hortante Petro, Laurentii filio, Noster aliquando collegit, et in volumen redactas publicavit. Ibi videas Angelum cum omnibus fere, qui tunc temporis in Italia essent eruditis viris, dulci musarum commercio conjunctum, renascentiumque litterarum instaurationem communi labore foventem atque studio. In tanto illustrium virorum concentu, mirandum videri potest nulla aut fere nulla inter Florentinos scriptores, et eos qui cum Joviano Pontano florerent Neapoli, litterarum commercia exstitisse. Inimicitiæ enim, ut infra videbimus, Pontano et Actio Syncero, seu potius Sannazario, academiæ Neapolitanæ luminibus, cum Politiano fuere.

Omnes Politiani amicos recensere multum haberet laboris et difficultatis. Quare omissis tot plebeiis, quorum nomina passim in operibus Angeli occurrunt, de illis tantum pauca dicemus, qui aliquo in numero fuere inter majorum gentium litteratos. Primi adsunt Marsilius Ficinus et Joannes Picus Mirandulanus, quorum constanti familiaritate, dulcis affectus serenitate nunquam

obnubilata, usus est Politianus. Proximo deinde, sed longo tamen intervallo accedunt Hermolaus Barbarus, Aquiliensis pontifex, Plinianarum castigationum haud spernendus auctor; Hieronymus Donatus, nobilissimus Venetus patricius, qui opera quædam græca non sine aliqua laude in latinum convertit; Ludovicus Bigius Pittorius, Ferrariensis poeta, in quo, dum flueret lutulentus, erat tamen quod tollere velles(1); Bartholomæus Scala, qui deinde factus est illi inimicus; Nicolaus Leonicenus, græcis instructus litteris et latinis; Baptista Guarinus, dignus patre juvenis, quem Politianus omnium ætatis suæ professorem celeberrimum appellat (2); Raphaelus Volaterranus, Commentariorum Urbanorum libris XXXVIII notissimus; Platinus Platus, poeta Mediolanensis; Philippus Beroaldus senior, qui publicam eloquentiæ scholam, Parmæ, Mediolani, Lutetiæ et Bononiæ aperuit; Ludovicus Odaxius, qui tunc apud Fredericum, Urbinatium Ducem degebat, Guidubaldum filium ejus musas græcas docens et latinas; Andreas Dactius, poeta; Titus Vespasianus Strozza, poeta et ipse celeberrimus; Ugo-

---

(1) Felicior fuit Pittorius in amatoriis quam in sacris carminibus. Latinorum ejus poematum indicem invenias apud Borsettium (*Hist. Gymn. Ferr.*, tom. II, p. 329.) Suorum ipse carminum sibi magnum numerum gratulatur:

> Tres et viginti punxit mea Musa libellos,
> Præter in Angelicas scriptum opus excubias.
> (*In ultimo libro Epigrammatum.*)

(2) Polit. *Epp.*, lib. I, 20.

linus Baccius, quo nemo blandior, humanior suaviorque Politiano fuit(1); Aldus Manutius(2); Johannes tandem Reuchlinus, et multi præterea alii, quorum tibi ne nomina quidem dabimus, ne nos litteratorum illius seculi alphabeticum indicem compilasse putaveris.

Nobis tamen non sunt prætermittendæ inclytæ duæ feminæ, Politiano communi litterarum studio conjunctissimæ. Quarum prior Alexandra, Bartholomæi Scalæ filia, qui fuit reipublicæ Florentinæ vexillarius, forma corporis culturaque ingenii celeberrima, Johannem Lascarem Demetriumque Chalcondylum græcarum musarum magistros audiverat. Posterior autem, Cassandra Fidelis, multo etiam celebrior evasit. Nobilibus orta parentibus, qui ex Mediolanensi civitate Venetias migraverant, quique generosæ stirpis gloriam parum communi augebant doctrina, a teneris, ut ita dicam, unguiculis, studia haud leviter attigit, tantamque doctarum antiquitatis linguarum obtinuit peritiam, ut inter illius seculi litteratissimos recenseri merito debeat(3). Quædam exstant Politiani ad Cassandram epistolæ, in quibus Noster summam tantæ feminæ admirationem elegantissimis verbis exprimit : « O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates, quasve referre parem, quod etiam

(1) Polit. *Epp.*, lib. VI, 5.

(2) Polit. *Epp.*, lib. VII, 7.

(3) Jacopus Philippus Tomasinius Cassandræ orationes et epistolas, anno 1636, Ticini edidit, præmisso vitæ ejus commentariolo.

honore me tuarum litterarum non dedignaris? Mira profecto fides, tales proficisci a femina, quid autem a femina dico! imo vero a puella et virgine potuisse!.... Tibi vero tanta incepta Deus Optimus Maximus secundet : et cum recesseris a parentibus, is auctor contingat, et consors, qui sit ista virtute non indignus; ut quæ nunc propemodum sua sponte naturalis ingenii flamma semel emicuit, ita crebris deinceps aucta flatibus, aut enutrita fomitibus, effulgeat, ut a nostrorum hominum præcordiis animoque, nox omnis, geluque penitus et languoris in litteris et inscitiæ discutiatur (1). » Præterea cum Venetias olim peregrinationem suscepisset Angelus, in Cassandræ venit colloquium, majoremque de illa existimationem concepit (2).

Nemini tamen Politianus conjunctior quam Laurentio fuit Medici, cui, ut quondam Cornuto Persius, dicere profecto potuisset :

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo

---

(1) Politianus ad Cassandram, *Inter Epistolas Cassandræ Fidelis*, ep. 101.

(2) *Visitai hiersera quella Cassandra Fidele litterata, et salutai per vostra parte. E cosa, Lorenzo, mirabile, ne meno in volgare che in latino, discretissima et meis oculis etiam bella. Partimmi stupito. Molto è vostra partigiana, et di voi parla con tutta practica, quasi te intus et in cute norit. Verrà un dì in ogni modo a Firenze a vedervi, sicche apparechiatevi a farle honore.* (Ep. Politiani ad Laurentium, apud Roscoæum, Vita Laur., append. XLVI, et apud nos, append. VIII.)

Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Nescio quod, certe est, quod me tibi temperat, astrum (1).

Uterque enim, quasi naturæ quodam concentu, eadem fere ætate (2), iisdem moribus ac studiis, alter alteri amicissimus vixit; Laurentiusque, præmaturo raptus exitu, amicum dolore animi confectum, secum, ut ita dicam, traxit. Itaque totus fuit in laudando Laurentio Politianus; nec longum erit in ejus operibus patroni elogium invenire. Sic enim in epistola ad Ludovicum Odaxium : « Cave putes quemquam esse [redacted], ex nostro, ut sic dixerim, seminio, hoc est, ex iis qui omnem ætatem in litteris consumpserunt, cui cedat hic, vel acumine in disputando, vel prudentia in judicando, vel in explicando quæ sentiat facilitate, copia, varietate, gratia. Acer illi sermo, et gravis, et cum res postulat, salibus scatens, sed ex illo mari collectis, in quo Venus est orta; exempla et historiam veterem sic habet ad manum, ut eis perinde uti semper atque suis stipatoribus videatur; sic ut ingenium habere in numerato, et esse quasi promum condum, ut Plautino utar verbo, totius antiquitatis facile credas (3). » Is erat revera Laurentius, qui tantas

(1) Persius, *Sat.* V, v. 45-47.

(2) Angelum inter et Laurentium sex anni intererant; quod in prima juventute spatium satis magnum videri potest; sed deinde, annis decedentibus, paulatim minui ac tandem propemodum evanuisse crederes.

(3) Polit. *Epp.*, lib. III, 6.

mereretur laudes, et amicitia foret dignissimus. Familiariter enim Politiano utebatur, quem sæpissime ad cœnam vocaret (1), dignumque æstimaret contubernio (2). Tanta vixerunt concordia, ut omnia credas illos habuisse communia (3), ingenii et animi dotibus pariter excellentes, nisi quod in Laurentio tanto major laus, quo rarior est apud divites et potentes similis erga minores observantia.

---

(1) *Explicare non possum litteris, Hermolae, quanta mihi lætitia prandenti nuper secum Laurentius Medices te patriarcham factum esse Aquileiensem nunciaverit.* (Polit. *Epp.*, lib. I, 13.

(2) Varillasius, iste fabulator et sycophanta, tam puræ familiaritatis nitorem teterrimis coloribus obscurare tentavit. Cum enim causas exponeret, quæ Volaterranos ad bellum adversus Laurentium impellerent, eosque in Pittorum partes traherent, dicere ausus est : « *Il y eu avait de plus particulières et de plus pressantes..... Les bourgeois de Volterre avaient fait de piquantes railleries et d'infâmes satires sur le sujet de sa jeunesse, sur sa trop grande familiarité avec Ange Politien, et sur l'étude des belles-lettres, dont il se piquait contre la coutume des gentilshommes italiens.* » (Varillas, *Anecdotes de Florence*, liv. II, p. 62.)

(3) Nec ideo crederem cum Raphaelo Volaterrano musarum inter utrumque societatem eo processisse, ut Laurentius pro suis epistolas Politiani ederet: *Mihi quoque, quem Antonii supra dicti fratris mei gravis causa suspectum reddere debuerat, epistolam humanitatis atque officii plenissimam scripsit Laurentius, adeoque elegantem, ut eam a Politiano scriptam omnino putaverim, nisi ille postea jurasset Laurentii ingenio dictatam, qui paucis, si quando a curis esset vacuus, in hoc genere cederet.* (Raph. Volaterranus, *Comm. Urban.*, p. 153, éd. Lugd.)

Magnam itaque apud Laurentium auctoritatem obtinuit Politianus. Nec sibimet ipsi totam, ut fere omnes cæteri qui magna insectantur nomina, Mæcenatis sui gratiam retinuit, sed amicos quoque suos illius voluit esse participes. Omnes ergo, ut Laurentii benevolentiam captarent, ad Politianum recurrebant. Cantalicium, si placet, audias :

Totis, Angele, qui vides diebus
Illum, sidera quem fovent Tonantis,
Virtutum specimen, decusque rerum,
Patronum fidibus tuis faventem;
Absentem memores libens, rogamus,
Illi Cantalicium, rogesque, nostros
Vultu versiculos legat preeesque,
Quali perlegit usque ruminatque
Quæ tu Mæonio canis lepore (1).

Nulla unquam in tam longo annorum decursu nubila intercesserunt tempora, quæ dulcem minuerent obrumperentve amicitiæ lætitiam. Ne occultæ quidem Clarices uxoris inimicitiæ Laurentium a Politiano abstrahere valuerunt. Imo etiam quam magna fuerit inter illos familiaritas declarant epigrammata duo, in quibus vestes a Laurentio petit Angelus, proque accepto munere gratias patrono suo agit :

Quum referam attonito, Medices, tibi, carmina plectro,
Ingeniumque tibi serviat omne meum,
Quod tegor attrita ridet plebecula veste;

(1) Cantalicii ad Politianum versiculi. (*Carmina illust., poet. Italic.*, tom. III, p. 150.)

Tegmina quod pedibus sint recutita meis,
Quod digitos caligæ disrupto carcere nudos
Permittunt cœlo liberiore frui;
Intima bombicum vacua est quod stamine vestis,
Sectaque de cæsa vincula fallit ove.
Ridet et ignavum sic me putat esse poetam,
Nec placuisse animo carmina nostra tuo.
Tu contra effusas toto sic pectore laudes
Ingeris, ut libris sit data palma meis.
Hoc tibi si credi cupis, et cohibere popellum,
Laurenti, vestes jam mihi mitte tuas.

AD EUMDEM GRATIARUM ACTIO.

Dum cupio ingentes numeris tibi solvere grates,
Laurenti, ætati gloria prima tuæ,
Excita jamdudum longe mihi murmure tandem
Astitit arguta Calliopea lyra;
Astitit, inque meo pretiosas corpore vestes
Ut vidit, pavidum rettulit inde pedem;
Nec potuit culti faciem Dea nosse poetæ,
Corporaque in Tyrio conspicienda sinu.
Si minus ergo tibi meritas ago carmine grates,
Frustata est calamum diva vocata meum.
Mox tibi sublato modulabor pectine versus,
Cultibus assuerit cum mea Musa novis (1).

Non divitiis solum et honoribus Politianum Laurentius auxit, sed peramœnæ etiam in agro Fæsulano villæ concesso munere, dulcissima illi fecit otia. Ibi Angelus, navem publicam jactantibus austris, aut pestilentia Etruriam devastante, templum serenum, doctrina sapientiaque editum, incolere videbatur (2). O quam suavis et alta quies

(1) Politianus, *in lib. lat. Epigr.*

(2) *Nos concesso nobis a Laurentio Medice Fæsulano otio,*

erat Politiani in secessu suo dies ac noctes Virgiliana meditantis carmina, per saltus irriguos umbriferasque sylvas incertos gressus ferentis, nullaque cura anxii, docto amicorum et Laurentii colloquio, tranquilla, nec tamen ingloria, tempora degentis! Nutricia ibi composuit et Rusticum, quasi locorum amœnitas vatis mentem divino concitaret spiritu :

Pan ades, et curvi mecum sub fornice saxi,
Versibus indulge, medio dum Phœbus in axe est,
Dum gemit erepta viduatus compare turtur;
Dum sua torquati recinunt dictata palumbes.
Hic resonat blando tibi pinus amata susurro;
Hic vaga coniferis insibilat aura cupressis.
Hic scatebris salit, et bullantibus incita venis,
Pura coloratos interstrepit unda lapillos.
Hic tua vicinis ludit lasciva sub umbris,
Jamdudum nostri captatrix carminis, Echo.
Felix ille animi, divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus;
Sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ (1).

Huc secedebant sæpius Angelus et Picus Mirandulanus, ut patet præsertim ex epistola sequente Politiani ad Marsilium Ficinum : « Tu velim,

---

vel his temporibus fruimur : neque enim vir ille aureus passus est, ut Musis nostris quæ in suo gremio creverint, aut vestra ista classica, aut pestilentiæ fragor obstreperet. (Politianus Pandulfo Collenucio, Pisaurensi jureconsulto, in dedicatione Plutarchi amatoriarum narrationum interpretationis.)

(1) Politiani Rusticus, v. 7-22.

quando Carregianum tuum sextili mense nimis æstuat, rusculum hoc nostrum Fæsulanum ne fastidias. Multum enim hic aquarum habemus, ut in convalle minimum solis, vento certe nunquam destituimur. Tum villula ipsa devia, cum pene media sylva delitescat, totam tamen Florentiam æstimare potest. Et cum sit proximo celebritas maxima, semper apud me tamen solitudo est mera, qualem profecto secessus amat. Uti poteris autem duplici spe. Nam sæpius e querceto suo me Picus invisit improvisus obrepens, extractumque de latebra secum ducit ad cœnulam, qualem nosti, frugi quidem, sed et scitam, plenamque semper jucundi sermonis et joci. Tu tamen ad me potius; non enim pejus hic cœnabis, bibes fortasse vel melius. Nam de vini quidem palma cum Pico quoque ipso valde contenderim. Vale (1). »

Joannis et Angeli dulci utebatur familiaritate Matthæus Bossus, canonicorum regulariorum abbas in Fæsulano cœnobio. Insignis est ea de re Politiani epistola ad Laurentium Medicem, quam, quia rarissima est, hoc loco exhibere quoddam operæ pretium habere videtur (2). »

---

(1) Polit. *Epp.*, lib. X, 14.

(2) Hæc Politiani epistola præfixa est libro Matthæi Bossi, *De veris ac salutaribus animi gaudiis*, editionis anni 1491, nec alibi (quod quidem sciamus) recusa. (Mabillon, *Musæum Italicum, seu collectio veterum scriptorum ex Bibliothecis Italicis eruta a D. Johanne Mabillon, et D. Michaele Germain, presbyteris et monachis Benedictinæ congreg. S. Mauri*, 2 vol.

Angelus Politianus Laurentio
Medici, Patrono suo S.

« Sapienter ut cætera, Laurenti, facis, qui sanctos istos extremæ quadragesimæ dies consumere in Agnano tuo malueris, quam Florentiæ. Quis enim tutior portus in quem de tantis occupationum fluctibus enates, quam Tyrrheni littoris amœnissimus iste sinus atque secessus, ubi quasi quoddam naturæ certamen sit et gratiæ? Sed ego quoque tuum imitatus exemplum, ceu fugitivus urbis, assiduus in Fæsulano fui, cum Pico Mirandula meo; cœnobiumque illud ambo regulariorum canonicorum frequentavimus, avi tui sumptibus exstructum. Quin abbas in eo Matthæus Bossus Veronensis, homo sanctis moribus integerrimaque vita, sed et litteris politioribus mire cultus, ita nos humanitate sua tenuit, et suavitate sermonis, ut ab eo digressi, mox ego et Picus soli propemodum relicti, (quod antea fere non accidebat) nec esse alter alteri jam satis videremur. Hoc ille, arbitror, sentiens, dialogum nobis a se compositum *De salutaribus animi gaudiis* obtulit quasi vicarium, cujus materia stylusque nos ita cepit, ut quamdiu quidem legebamus, facile auctoris præsentia careremus. Eum igitur dialogum mitto ad te quoque, Laurenti, quem subter pineta ista legas, ad aquæ caput. Delectaberis, arbitror, argumento, sensibus, indole, ni-

in-4°, Paris, 1687.) Exstat quoque episiola illa apud Fabrionum et Roscoæum, *in appendicibus.*

tore, varietate, copia; nec in eo tamen domesticas quoque laudes desiderabis; ac si tuus etiam accesserit calculus, dabitur opera protinus, ut in multa liber exemplaria transfundatur. Vale.

CAPUT XVIII.

POLITIANI INIMICITIÆ.

Acerbissimum Politiano dolorem attulit Laurentii obitus (1), cujus patrocinio, ut ipse dicit, unus ex omnibus litterarum professoribus, et erat fortunatissimus, et habebatur (2). Quo exstincto, ardor etiam omnis in Nostro exstinctus est, omnisque prope veterum studiorum alacritas elanguit. Sed aliquod, ut in tanto dolore, solatium attulit Petrus, Laurentii maximus natu filius, qui vixdum primum et vigesimum annum ingressus, tanta jam gravitate et prudentia (3), molem totius reipublicæ sustentabat, ut in eo statim revixisse genitor Laurentius existimaretur. Nec minorem illius quam patris liberalem Angelus expertus est munificentiam. Quemadmodum enim collegiatæ sancti Pauli, favente Laurentio, electus fuerat prior secularis (4), ita a filio, venerando

(1) Anno 1492.

(2) Polit. *Epp.*, lib. IV, 2.

(3) Polit. *Epp.*, lib. IV, 2. — Nos docet Guicciardinius Laurentium ad filii sui Petri vitia ultro non caligasse: *E si era spesso lamentato con li amici più intimi che l' imprudenza ed arroganza del figliuolo partorirebbe la rovina della sua casa.* (Guicciardini, *Hist.*, lib. I.)

(4) Crescimbeni, *Comentari intorno all' Istoria della volg.*

Ecclesiæ metropolitanæ canonicorum cœtui aggregatus est (1). Quo munere ut fungeretur, inquit Serassius (2), populo sacras litteras enarrare debebat (3).

Nec multo post animosa orta est contentio Politianum inter et Georgium Merulam, qui tunc temporis Mediolani græcas litteras docebat et latinas. Cujus causa fuit Miscellaneorum liber. Jam erat in summa senectute Merula, multisque in lucem operibus editis, magnum sibi inter doctos nomen comparaverat. Primas autem sibi partes vindicabat, solebatque in omnes suæ ætatis professores invehi, qui nullas, si credidisses illi, omnino litteras nossent (4). De Politiano solo honorifice loquebatur; cumque Angelus in frequenti auditorio Venetiis ad illum accessisset, dixit palam Merula Politianum illum esse, quem priscæ et romanæ doctrinæ instauratorem sibi polliceretur (5). Miscellanea vero, ut primum in lucem prodiere, titulo ipso permotus et invidia, carptim legere cœpit. « Cæterum familiares quidam et discipuli animadvertisse se mihi retulere, non admodum pauca, quæ jampridem a me didicissent, et litteris prodidissem, ceu auctor eorum esses,

---

poes., vol. 2, part. II, lib. IV, p. 338, et Quadrio, *Storia e ragione d' ogni poesia*, vol. 2, p. 215.

(1) Polit. *Epp.*, lib. X, 12.

(2) Serassius, *Vita del Poliziano.*

(3) Polit. *Epp.*, lib. IV, 10.

(4) Polit. *Epp.*, lib. XI, 2.

(5) Merula ad Angelum Politianum, Polit. *Epp.*, lib. XI, 5.

in Miscellaneis a te usurpari, atque suppresso nomine, alia velut perverse interpretata damnari. Movit ea res mihi stomachum, extra tamen iram et obtrectationem. Deinde paulo curiosius dum capita percurro, plus inveni, quam a familiaribus accepissem. Ita dum mea partim subrepta, partim subdole designata cognosco, pauca tumultuario in adversariis magis quam codice adscripsi (1). » Quæ adversaria liber a Politiano dicuntur *criminosissimus* (2). Præterea Politianus litteris familiarium, multorumque sermonibus, et fama denique ipsa quotidie certior fiebat, non modo eum de se aspere et acerbe, quacumque occasione, sed etiam contumeliosissime solere loqui (3); postremo librum quoque adversus Miscellanea plenum conviciis vulgo recitare, dum tamen adhuc, multa jactans, multa minitans, domi retineret (4).

Triennio jam inter se dissidebant, nec Politiano Merula audiendæ accusationis potestatem fecerat. Itaque ne indicta causa damnaretur, ac si non excusandi quæ scripsisset, certe castigandi copia quandoque daretur, Angelus ad Ludovicum Sfortiam, qui Mediolanensium civitatem pro Galea, fratris filio, eo tempore regebat, misit litteras, in quibus non solum multis precibus, sed loco

(1) Polit. *Epp.*, lib. XI, 5.
(2) Polit. *Epp.*, lib. XI, 2.
(3) Polit. *Epp.*, lib. XI, 1.
(4) Polit. *Epp.*, lib. XI, 1.

etiam maximi cujusdam beneficii, ut tandem prodiret Merulanus liber a Vice-comite petebat (1).

Uno eodemque tempore ad Merulam Politianus misit epistolam, in qua de sibi illata queritur injuria : « Non video quæ causa sit cur tu suspicionem dare malevolis alienati a nobis animi concupiveris; aut cur non potius ipse ad me libere scripseris, copiamque feceris amicissimo tibi homini, vel agnoscendi errores suos, vel refellendi. Non enim mihi fieri injuriam puto, si quis aliter atque ego sentiat, aut scribat, quoniam sententiarum diversitate, præsentim in litteris, amicitiam distrahi non est necesse (2). » In fine epistolæ ab illo petit notas ut istas scriptorum suorum aliquando publicet, locumque sibi det vel purgandi seipsum, vel corrigendi; quod si fecerit, pollicetur se quoque par pari relaturum.

Parum amice respondit Merula : « Dices, cur non continuo mecum injuriam expostulasti? Non æqua facere me existimabam, quasi tu errata nec cognoscere, nec corrigere scires : ita satis habui in summa magis quam particulatim quid peccasses, indicare. Potuisti, nisi tua nimis amasses, ubi te notari sensisti, diligentius Miscellanea explorare, tum retractare, si quid perperam scripsisses; et, quod boni homines facere solent, si non erat unde debitum redderes, saltem apud creditorem

(1) *In miscellaneam ejus centuriam cohortes et alas, quæ impetu obruerent, emissurus esse dicebatur.* (Paulus Jovius, *Elog., doct. vir*, num. XXXVIII, p. m. 87.)

(2) Polit. *Epp.*, lib. VI, 2.

quantum debeas profiteri (1).» Gratæ autem omnino non fuere Politiano illæ litteræ, quia præsertim Miscellaneorum notas non attulerant, nec sibi diluendi criminis fecerant potestatem. Rursus tamen ad Merulam scripsit, ut se plagii crimine purgaret : « Nihil est apud me quod tibi subreptum dicas; quoniam quæ scripsi, partim nihil ad tuos commentarios attinent, partim ab iisdem magnopere dissentiunt. Tantum de Baptis nonnihil apud te, sed rude tamen adhuc et inchoatum; de quo mihi tacendum putavi, ne statim ibidem reprehendere in Cotytto nominatim te cogerer..... ubi autem subdole tua notaverim, nondum profecto intelligo. Bis equidem toto opere te laudavi : prius a doctrina, posterius et a moribus. Sed tu fortasse injuriam tibi factam credis, quod de rebus iisdem non eadem tecum prodiderim; quasi vero major tui mihi quam mei ipsius habenda ratio fuerit; satis, opinor, amicitiæ dedimus, quod, ut quæque fuit occasio, te laudavimus, nunquam reprehendimus (2).»

Dum summa vero esset inter illos contentio, Merula angina aut faucum inflammatione correptus, obiit (3), concordiam Politiano, complexum et osculum testamento relinquens, atque in his quas scripserat latinarum litterarum nonnullis observationibus, et cæteris id genus ob Miscel-

---

(1) Polit. *Epp.*, XI, 5.

(1) Polit. *Epp.*, lib. XI, 6.

(2) Anno 1494, mense Martio. (Girolamo Ghilini, *Teatro d'Uomini litterati*, vol. 1, p. 150, edizione di Milano, in-8.)

lauea, nomini Politiani parci mandavit (1). Magnam iste casus Nostro dubitationem attulit. Quo enim se verteret? Quodve consilium caperet? Taceretne penitus, et ipse se proderet? An potius iniquissima conditione certaret cum mortuo (2)? Caverat quidem Merula ne nominatim taxaretur Politianus; sed quid intererat nomine an signis noscitaretur? Itaque Jacobo Antiquario, Sfortiæ Ducis amico scripsit, rogans et obtestans ut notæ illæ Miscellaneorum, qualescumque omnino forent, quam ocissime publicarentur. Dux autem omnia Merulæ scripta Bartholomæo Chalco tradiderat, præcipiens ut quidquid in Politianum scripsisset Georgius, diligenter collectum in vincula conjiceretur. Quod ægre ferens Politianus, Chalcum obsecravit ne tantum sibi fieri flagitium, nec rursus exstingui Merulam permitteret. Sed cum omnia ista Merulana adversaria frivola forent et paucula, imperfecta, perturbata et interlita, optatam illorum publicationem desperare debuit Politianus, Ludovicusque Sfortia Dux, ut aliquod ei solatium afferret, et nomen ejus vindicaret ab injuria, hanc ei mandavit epistolam:

LUDOVICUS MARIA SFORTIA DUX ANGELO POLITIANO.

« Non est quod verearis, Angele, ne tibi notam

---

(1) Polit. *Epp*, lib. XI, 8.

(2) *Nunc cineres et ossa persequi non libet, ne si liceat quidem. Nec est quod ulla exspectemus illius scripta, quasi posthuma. Corvos delusit hiantes. Nam nec centuriæ usquam, nec Plautinæ quæstiones comparent.* (Polit. *Epp.*, lib. VI, 3.)

aliquam inurant, si supprimantur scripta quæ in te Merula parasse dicebatur. Tua enim opera minime factum putari debet, qui non quæsivisti ut occultentur; sed multis precibus per nostros agere apud nos non destitisti, ut ea in lucem venire pateremur. Quod scribere ad te voluimus, ut hæ nostræ apud omnes testari possent, te scripsisse, non modo non futurum grave tibi, si in manus hominum viri litteratissimi scripta venirent, sed etiam, si ita pateremur, nobis te gratias ingentes debiturum affirmasse. Vale (1).»

En tibi verissimam istius jurgii absolvimus historiam. Operæ enim pretium esse credidimus, si veritatem a multis, et præsertim a Varillasio (2), adulteratam, restitueremus.

Nec minor Angelo, sed justioribus de causis, cum Bartholomæo Scala inimicitia orta est. Scalam, vilissimis ortum parentibus (3), Cosmus, Pater

---

(1) Polit. *Epp.*, lib. XI, 21.

(2) *Mérula ayant attaqué tout ce qu'il y avait d'habiles gens en Europe, ne pardonna pas même à Politien, quoique Politien eût acquis assez de réputation pour se mettre hors de pair. Il lui montra, qu'encore que la nature lui eût donné toutes les qualités requises pour devenir savant, elle n'avait pu néanmoins le faire naître tel. Il lui marqua plus de trente fautes considérables qui lui étaient échappées, et l'avertit charitablement, disait-il, que pour passer pour premier dans la république des lettres, il fallait avoir plus lu et plus étudié que tous les autres ensemble.* (*Varillas*, *Anecdotes de Florence*, liv. IV, p. 192.)

(3) E lo Scala, figliuol d' un molinaro,
Over d' un tessitor di panni lini,
Che colla sua virtù si fece chiaro,

patriæ, in domum suam recepit, constantique favore amplexus est. Illum magnis honoribus sustulerunt Florentini, publicique cancellarii dignitatem ei, anno 1472, largiti sunt. Prima autem inter illum et Politianum odii livorisque causa exstitit Laurentius ipse, qui sæpe litteras a Bartholomæo publice scriptas rejecit, Politianoque formandas dedit (1). Inde iræ; quibus accessere quædam Scalæ animadversiones in Politiani de Culicibus græcum epigramma. Exarsit subito inter illos latens odium; cumque Bartholomæus Politiani scripta in omni occasione carperet, Noster, extra omnem modum urbanitatis et justitiæ habenas iræ suæ laxavit. « De Cosmo, inquit, quæ jactas, deque Laurentio Medice, falsa omnia... At ego monstrum te vocavi furfuraceum; monstrum quidem, quod ex collusione monstrorum compositus es; furfuraceum vero, quod in pistrini sordibus natus, et quidem pistrino dignissimus(2). »

Sed in nullum Politianus iracundia violentius efferbuit quam in Michaelem Marullum Tarchaniotam Græcum, qui duri Martis labore ac studio cum tenerrimis musis feliciter adæquato, non græco tantum, sed latino carmine admirandus

---

E fù gonfalonier de' Fiorentini,
Cavalier a spron d' oro, e non avaro
Tanto è, voi m' intendete, cittadini,
Non s' ha questi a chiamar nobile e degno,
Che acquistò, roba, onor, virtute e ingegno?
(L' Altissimo, *in Barth. Scalæ vita*, Flor., a. 1768.)

(1) Polit. *Epp.*, lib. XII, 18.

(2) Polit. *ibidem*.

evasit (1). Inimicitiæ causa fuit amor. Uterque enim Alexandræ Scalæ amore captus fuit (2). Quæ cum nupsisset Marullo, spreti amoris injuriam Politianus tolerare non potuit, acerbissimisque maledictis Michaelem insectatus est. In libro latinorum Politiani epigrammatum, carmina occurrunt in Mabilium quemdam; et in Marulli operibus, aliquot epigrammata in nescio quem Ecnomum, quo nomine, mea quidem sententia, Politianum lacessere Marullus voluit. Nunquam autem animosius iræ et livori Politianus indulsit, ut facile amantem iratum dignoscere possis:

(1) Paulus Jovius, *Elog. doct. vir.*, num. XXVIII, p. 66, Marulli Hymnos et epigrammata Florentiæ edidit societas Colubris, anno 1487. Sequentes versus ad Bartholomæum Scalam, uxoris suæ patrem, non carent elegantia:

Cum musæ tibi debeant latinæ
Tot juncto pede scripta, tot soluto,
Tot sales latio lepore tinctos,
Tot cultis documenta sub figuris,
Tot volumina patriæ dicata,
Quæ nulli taceant diu minores,
Tot prætoria jura, tot curules,
Tot fasces proprio labore partos:
Plus multo tamen, o beate amice, est
Quod Scalam Latio pater dedisti,
Aucturam numerum novem sororum,
Casto carmine, castiore vita.

Non christianæ fidei dogmata, sed paganorum deos præposteris carminibus celebrat Marullus. Itaque Erasmus: *Marulli pauca legi, tolerabilia, si minus haberent paganitatis.*

(2) Alexandræ carmina græca aliquot in operibus Politiani invenias.

Si jam carmina nostra te, Mabili,
Urgent ad laqueum, miser, crucemque,
Ne, quæso, propera mori, tuum ne
Fraudes carnificem suo lucello.
Namque est percupidus tui, ac libenter
Is tantum tibi dempserit laboris.
Quid? nostin hominem? negas: at idem est
Aurem qui secuit tibi sinistram.

Cætera flagitiosiora ac turpiora sunt, quam ut hic ea nos referre liceat (1).

Quæ autem fuerit occulta Angelum inter et Pontanum causa simultatis explanare difficilius est : nisi quod Pontanus, Scalæ et Marullo amicissimus, familiarium inimicitias amplecti voluerit (2). In Epistolis Politiani leguntur litteræ ad Jovianum de interitu Ferdinandi regis, ex quibus concludere licet Pontanum Politiani epistolis non rescribere solitum fuisse. « Quod autem superioribus diebus, inquit Angelus, excusasti diligenter occupationes tuas, propterea quod epistolæ cuidam nostræ non responderas, nimis officiosus homo es (3). » Sed in operibus Sannazarii, qui in litterarum republica Actii Synceri nomine (4)

(1) Polit., *in libro lat. Epigr.*

(2) *Habitus est in omni censura quamquam absolute pius, supra æquum mordax, vel eo quod non homines modo sibi notos, sed urbium et gentium quoque omnium mores acerba scribendi libertate perstringeret; sicut ex variis dialogis, Charonteque præsertim, intemperanter ostendit.* (Paulus Jovius, *Elog. doct. vir*, num. XLVI, p. 107.)

(3) Polit. *Epp.*, lib. II, 7.

(4) Sannazarius etrusca simul atque latina carmina pari le-

multo est notior, Politianus aperto Marte petitur. Cum enim in Miscellaneis Angelus passerem Catullianum obscœniorem quempiam celare intellectum dixisset, hæc animadversio, nescio quo pacto, Neapolitanorum clamores suscitavit, quorum scripta sæpius castos sanctosque mores non redolent (1). Itaque Sannazarius Politianum Puliciani nomine violenter insectatus est (2). Non occurrunt in Angeli operibus ad ista maledicta responsiones, unde suspicari licet Sannazarii epigrammata, mortuo Politiano, publicata fuisse (3).

Quosdam præterea alios habuit inimicos Politianus; inter quos hic nominare satis est : Pacificum Maximum Asculanum, qui acerbissimam in Angelum scripsit objurgatoriam epistolam (4); Bartholomæum Fontium, qui sæpe a Politiano lacessitus, illum ad singulare certamen provoca-

---

pore ac sale composuit. Sepultus est ad Pausilippi radices, juxta Virgilianum tumulum. En tibi de Syncero Bembi epigramma :

> Da sacro cineri flores : hic ille Maroni
> Syncerus, musa proximus, et tumulo.

(1) Pontanus ipse in Catullianis commentariis, et in epigrammate cui titulus : *Cui donaturus sit suam columbam* (Op. poet. I, 232), Politiani interpretationem pellucidius exposuit.

(2) *Ait nescio quis Pulicianus*. Sannazarius, *Epigr.*, lib. I, ep. 61. Quod epigramma obscœnius est quam ingeniosius.

(3) Roscoe, *Vie et pontificat de Léon X*, tom. I, p. 68 *de la traduction française*.

(4) Jacobus Gaddus, *De scriptoribus*, tom. II, p. 187, Lugduni, 1649, in-fol.

vit (1); Andream Dactium et Joannem Parrhasium, omnium sane moderatissimum. Paucissimi ergo Politiano fuerunt inimici, si eos præsertim familiarium numero comparaveris. Angelo enim, etsi aliquoties malesuadæ cessit iracundiæ, naturalis quædam fuit benevolentia, qua sibi multas peperit amicitias, partasque servavit.

---

(1) Hæc provocatio legitur in Fontii ineditis epistolis, ms. doctissimi abbatis Trombellii, sicque incipit: *Non abutetur amplius pudore nostro impudentia tua, neque se ulterius patientiam in nostram efferet ista effrænata audacia. Nam quando neque veteris nostræ consuetudinis, neque studiorum communium ulla te ratio ad sanitatem mentis potest deflectere, eo te curabo helleboro, quod maxime ad insaniam tuam conferat.*

CAPUT XIX.

POLITIANI BIBLIOTHECA.

Non unus erat ex illis Politianus, de quibus loquitur Petrarcha : « Ut quidam disciplinæ, sic et alii voluptati et jactantiæ libros quærunt. Sunt qui hac parte supellectilis exornent thalamos, quæ animis exornandis inventa est, neque aliter his utuntur, quam Corinthiis vasis, aut tabulis pictis, ac statuis (1).» Noster autem perpaucis admodum gaudebat voluminibus, quæ iterum atque iterum pervolvens et lectitans, eruditissimis in marginibus notis illustrabat, difficillimos enucleans sensus, et monstra, quæcumque faventibus medii ævi tenebris in litterarum dominium irrepsissent, felici prælio fugans atque exterminans. Præclare sane egit Politianus qui, postquam in locupletanda Medicæorum bibliotheca tantam impendisset curam, ut inde quam latissime litteratis studiorum materia pateret, paucos sibimetipsi selegit libros, ne mole rerum obrutus, in mediis undis more Tantaleo siti animam torqueret, rebus attonitam, degustantem nihil, atque omnibus inhiantem. Quare tibi, Lector amantissime, Politiani librorum indicem offerre statuimus, qualis

(1) Petrarcha, *De librorum copia*, Dial., XLIII.

exstat in Archivio Florentinæ reipublicæ, omnibus quibus scatet mendis fideliter transcriptis.

« Hoc est inventarium librorum qui inventi sunt inter libros Domini Angeli Politiani, quos secernendo extraxit inde Dominus Johannes Laschari Græcus, ex commissione Dominorum; coram Domino Theodoro et coram Domino Bartholomæo de Crais; quod inventarium confectum fuit in domo Petri de Medicis, die XXIV octobris 1495, ut patet ex Originali.

Aristotelis Poetica, et quædam alia, in græco, *in papyro.*

Galeni, de Compositione pharmacorum, in græco, *in papyro.*

Petri Hispani Dialectica, et quædam alia in græcum de latino versa, *in papyro.*

Leges quædam, cum glossis, *in membrana;* glossulæ vero sunt in marginibus.

Omeliæ Johannis Crisostomi, in græco.

Servius in Virgilium, *in membrana*, latinus codex.

Aristotelis de Mundo, in græco, simul cum Polemonis meditationibus, et Aristotelis metaphysicis, *in papyro.*

Compendium trium librorum Orobasii, factum per Hætium, *in papyro.*

Instituta, in græco, *in papyro.*

Epistolæ Theodori Lascharis, in græco, *in papyro.*

Actuarii opus de medicina, de urinis, in græco, *in papyro*, et Galeni quædam.

Galeni quædam in medicina et ejusdem liber de dicto auctore, in græco, *in papyro.*

Alexander Tralianus, in medicina, in græco, *in papyro.*

Liber Galeni in medicina; cujus primum capitulum de Cardiacis, *in papyro*, *in asseribus*, *sine operimento*, in græco.

Galeni de compositione Pharmacorum, *in papyro*, signatus n° 225, græco.

Liber Galeni in medicina, in græco, *in papyro;* habens primum capitulum de Theriacis Alexipharmicis, *in asseribus non opertus*, signatus n° 223.

Galeni de usu particularum in homine, et liber ejusdem de pulsibus, *in papyro*, et græco, signatus n° 215.

Priscianus quidam antiquus, *in membrana*, signatus n° 347, latinus.

Demosthenis orationes græcæ, *in papyro.*

Historia Zonaræ, *in papyro*, in græco.

Galeni de Pharmacis, secundum genus, in græco, *in papyro*, n° 218.

Pedagii Dioscoride Anazarbis, in græco; liber de Materia, *in papyro,* signatus n° 230.

Compendium philosophiæ Georgii Protertioi, in græco, *in papyro.*

Aristotelis Metaphysica parumper, et Galeni de anatomia, n° 216 (hunc codicem D. Jo. Laschari penes se).

Pars Pollucis et quædam aliæ et Polienis stratagemata, in græco, *in papyro et antiquo codice*, *volumine mediocri*, *tecto operimento rubro*, n° 91.

Excerpta quædam ex diversis auctoribus et

proverbia, et quædam alia sine tabulis, *in papyro.*

Pindari Olimpya et pars Pythiorum, cum expositione, *in papyro*, in græco, n° 87.

Xenophontis Græciæ historia, *in papyro*, sine tabulis, in græco, n° 622.

Quædam in physica, primum de climatibus terræ, et expositio Theonis in Arati Phenomena, *in papyro*, sine tabulis, in græco, n° 139.

Aristotelis Politica, in græco, *in papyro*, ligata in quadam carta membranea.

Aratus cum expositione, in græco, *in membranis ligatus, in quadam carta.*

Galeni liber antiquus, in græco, *in membranis, in quadam carta.*

Vocabula quædam medicinalia, et quædam alia, in græco, *in papyro, in tabulis, sine operimento*, vetustissima, n° 221.

Quædam recollecta a Domino Angelo Politiano in pueritia sua, in græco, *in papyro*, in latino, *et ligata simul in quadam carta membranea.*

Mirum quidem videri potest Politianum, qui in soluta etiam oratione summus erat poeta, tot de scientia naturæ et de medicina libros in promptu habuisse. Sed res duplicem admittit interpretationem. Aut enim, ut ex titulo indici præposito concludere liceret, partem tantum librorum Politiani hic habemus; aut etiam, quod magis mihi placeret, credere possumus Angelum, cum in Galenum et medicinam opus aliquod aggredi destinatum haberet, eos in Medicæorum Bibliotheca seposuisse libros, qui sibi auxilio futuri essent,

inque μουσεῖον suum transtulisse (1). Numeri quoque in quosdam codices impressi, majoris bibliothecæ reliquias aut fragmenta denuntiare videntur. Libris enim Medicæorum ut suis utebatur Politianus; quos patris, ut ita dicam, amore fovebat. Quod certe declaravit immensus ille dolor quo oppressus fuit Angelus, cum in Florentiam Gallorum militum furiis grassantibus, exspoliata fuit Laurentii domus, librique et alia antiquitatis monumenta, tanto sudore, tantis sumptibus collecta, fracta, et dilaniata, et dispersa sunt, Musis in vanum lugentibus, tantamque calamitatem deplorantibus.

Hanc calamitatem elegantissimis verbis deflet Bernardus Ruccellai : «Hic me studium charitasque litterarum antiquitatis admonet, ut non possim non deplorare inter subitas fundatissimæ familiæ ruinas, Mediceam Bibliothecam, insignesque thesauros, quorum pars a Gallis, pars a paucis e nostris, rem turpissimam honesta specie prætendentibus, furacissime subrepta sunt. Nam, cum jampridem gens Medicæa floreret omnibus copiis, terra marique cuncta exquirere, dum sibi Græcorum Latinorumque monumenta, toreumata, gemmas, margaritas, aliaque hujuscemodi opera, natura simul et antiquo artificio conspicua, compararent... Hæc omnia magno conquisita studio,

(1) *Tradusse egli infatti gli aforismi d'Ippocrate coi comentari di Galeno, una porzion dei quali ci assicura Pietro Crinito che esisteva in tempi suoi.* (Fabroni, *Elog. del. Poliziano*, p. 133.)

summisque parta opibus, et ad multum ævi in deliciis habita, quibus nihil nobilius, nihil Florentiæ quod magis visendum putaretur, uno puncto temporis in prædam cessere; tanta Gallorum avaritia, perfidiaque nostrorum fuit (1)!

Quo in luctu Titus Vespasianus Strozza, ut aliquod, si posset, amico afferret solatium, quosdam scripsit elegos, in quibus nescio utrum potius mireris, verborumne elegantiam, an pietatis et sollicitudinis vividissimum colorem. Eos tibi, eruditissime lector, quales in Aldina anni 1513 editione invenimus, præbemus legendos:

Angele, si quis erit, lacrymosi plena doloris
  Qui tua non tristi carmina fronte legat,
Ille, feras inter sævis in rupibus ortus,
  Aspera duritie vincere saxa potest.
Non ego talis in hoc, sed amici fletibus angor,
  Immeriti quem sors vexat acerba mali.
Certe dignus eras hominum cœlique favore,
  Nec tali casus convenit iste viro.
In te consumpsit vires fortuna nocendo;
  Nil superest ut jam possit obesse tibi:
Sed licet in tenues concesserit irrita ventos
  Intempestiva spes tua morte ducis,
Nec promissa patris servet tibi filius hæres,
  Abstuleritque tuas Gallus adulter opes,

---

(1) Bern. Ruccellai, *De Bell. civil*, p. 52. — *Beaux pots d'agate, et tant de beaux camayeux, bien taillés que merveille (qu'autrefois j'avais vus), et bien trois mille médales d'or et d'argent, bien la pesanteur de quarante livres; et crois qu'il n'y avait point autant de belles médales en Italie. Ce qu'il perdit ce jour en la cité valait cent mille écus et plus.* (Philippe de Commines, *Mémoires*, liv. VII, ch. 9.)

Non tamen ista valent rectam infortunia mentem
Eripere, et virtus inviolata manet.
Candidus ille viget morum tenor, et pia vitæ
Simplicitas nullis est labefacta dolis,
Parsque tui melior fraudem prædonis iniqui
Despicit, ac ferrum terribilesque minas.
Namque sacros inter celebraberis, Angele, vates,
Seraque posteritas scripta diserta leget;
Et clarum toto stabit tibi nomen in orbe,
Donec in æquoreas rex Padus ibit aquas.
Dura fuit rerum jactura, ut scribis, at illud
Triste magis versus tot periisse tuos.
Namque domum, et vestes, nummosque et prædia, si quis
Perdidit, hæc aliqua sunt reparanda via.
Casus, et indulgens hominum præsentia multis
Amissas duplici fœnore reddit opes.
Quis tibi restituet, non exemplaribus ullis
Tradita, per longas carmina facta moras?
Quorum si qua manet memori sub mente reposta
Pars tibi, plura tamen pectore lapsa reor:
Atque ita susceptus frustra est labor ille, jacetque
Clarorum in tenebris fama sepulta virum.
Quod fit ut indigner, doleamque, impune quod ausus
In te sit tantum barbarus ille nefas.
Ille sacras ædes potuit spoliare deosque,
Qui vertit duras in tua damna manus:
Non illum pudor, aut pietas, aut gratia movit,
Nec vindex magni terruit ira Dei;
Et bona Pieridum dextro tibi numine parta,
Sacrilega rapuit barbara turba manu.
Sed non parva mali restant solatia, quod non
Ullius culpæ conscius ipse tibi es.
Adde quod illustres multi graviora tulerunt
His quæ tu pateris, nec meruere, viri.
Respice Threicii fatum miserabile vatis,
Est et Arioniæ cognita causa fugæ.
Exul, inops, degens in amaris Naso querelis,

Finiit extremam per mala multa diem.
Hos præter facile est aliorum exempla referre,
Quæ quoniam tibi sunt nota, silenda puto.
Sed tamen ad vatem pauca hæc de vatibus istis
Dicta velim, quamvis fabula trita foret.
Quod petis, egregii pietas spectata Casellæ,
Et favet, et voto est officiosa tuo.
Nec tibi Castellus regi gratissimus, et qui
Rectum amat, optatam ferre negabit opem.
Nos quoque, si precibus quidquam studioque valemus,
Si quid apud magnum est gratia nostra ducem,
Hoc erit omne tuum, nec non curabimus, una
Consulat ut rebus regia cura tuis.
Cætera semper aget quamvis dignissima laude
Borsius, haud minor hac gloria parte venit,
Quod bonus afflictis succurrere novit, et idem
Magna solet meritis præmia ferre viris.
Sæpius hoc alii senserunt: Angele, rursum
Ad vivas sitiens ipse recurris aquas.

CAPUT XX.

POLITIANI MORS.

«Politianus, cum in adversa Medicæorum procerum tempora incidisset, inclinantibus jam Petri, quem ipse litteris instituerat, rebus, in eam incidit ægritudinem, ut in multis et variis molestiis cogitationibusque consolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore mœstitiaque confectus exspiravit. Quodque illi longe fuit infelicius, conficta in eum turpitudinis fabula, maledicentissimis obtrectationibus proscissus calumniatusque est. Utque ea gens (Florentina) promptissima est ad insimulandum, in invidiam Petri ipsius, ignominiosam aliam mortis voluntariæ causam, universo terrarum orbi, magna cum ejus infamia propalarunt (1).» Hæc sunt ipsa Valeriani verba, quæ nos hic integra retulimus, utpote quæ veritatem de morte Politiani tot fabulis adulteratam maledictisque, simplici quadam brevitate feliciter restituant. Vulgo etiam Angelum obstinatis laboribus debilitatum immature fuisse

(1) Joannes Pierius Valerianus, *De Litteratorum infelicitate*, lib. II. — Ea est etiam opinio Quadrii : *E fama che il dolor conceputo dal veder declinare la fortuna di Piero di Medici, di cui nelle lettere era stato maestro, gli affrettasse la morte.* (*Storia e ragione d' ogni poesia*, tom. II, p. 215.)

præreptum creditur; illudque suspicari licet ex epistola ad Tristanum Chalcum, ubi Politianus loquitur de studiis ac vigiliis suis, in quibus acriter, ab ineunte ætate, si minus cum dispendio bonæ valetudinis, certe sit maximo periculo versatus (1).

Obiit autem Angelus, anno 1494, die septembris vicesima quarta, ætatis suæ XL(2), ut declarat inscriptum ipsius tumulo epitaphium, quod Florentiæ, in Ecclesia sancti Marci, legitur. Nescio qua inductus auctoritate doctissimus noster Mabillon, Politianum anno 1509 mortuum fuisse affirmaverit. « E regione, inquit, sepultus est, sed sine inscriptione, Angelus Politianus, Johannis amicus, qui obiit anno 1509(3). » Quod admiserunt Eberus *in Fastis*, et Reusnerus in Diario historico(4). Eos secuti sunt Nathan Chytræus(5) et Petrus *de saint Romuald*(6). Istum errorem feliciter refellit Vossius, adhibita auctoritate illius qui Matthiam Palmerium continuans, Hermolaum Barbarum et Joannem Picum Mirandulam eodem anno mortuos fuisse narrat, et Petri Criniti, qui tres illos summos viros eopse anno quo

(1) Polit. *Epp.*, lib. IV, 5.

(2) Jovius, falsa computatione usus, Politianum dicit vix quadragesimum quartum ætatis annum attigisse, quando mortuus est. (*Elog. doct. vir.*, n° XXXVIII. p. 89.) *Decessit quadragenarius.* (Volaterranus, lib. XXI, p. 777.)

(3) *Musæum Italicum*, p. 178, Lutetiæ, 1687.

(4) Vossius, *De Hist. lat.*, p. 629.

(5) *Variorum in Europa itinerum Deliciæ*, ed. 1599.

(6) *Abrégé chronologique*, tom. III, p. 262, à l'année 1509.

Carolus Italiam invaserit, obiisse affirmat (1). Quod si illorum testimonium non sufficiat, at omnem scrupulum eximet Marsilius Ficinus, in epistola ad Germanum de Ganai, ubi cum de obitu Joannis Pici Mirandulani egisset, subjungit : « Ut nota sit tibi reliqua litterarum jactura, hoc autumno Florentiæ facta, Angelus Politianus noster, latina græcaque lingua doctissimus, septembri proximo migravit e vita, quadragesimo ætatis suæ anno. » Præter alios, Petrus Crinitus ei epitaphium scripsit, in quo legas quæ sequuntur :

> Fovit benigno me sinu Flora, et illic
> In fata cessi, Parthenopæos reges
> Cum gallica arma irruerunt minabunda.
> Tu vale, et hoc meriti sis memor nostri.

Idem ergo annus litterarum rempublicam gravissimis affecit vulneribus, præmatura morte absumptis Hermolao Barbaro et Joanne Pico Mirandulano, qui fuerant Politiano amicissimi, et cum Laurentio etiam Medice dulcissima familiaritate conjuncti. Quem triplicem luctum insecuta est in æternum lugenda Medicæorum domus eversio. Quæ, adventante Carolo VIII, Francorum rege, Petri imprudentia labefactata, Florentinis civibus nova mox agitantibus ingrato animo consilia, penitus corruit. Crudele fortunæ ludibrium, quo magnificus ille patronus Laurentius, qui non

(1) *De Honesta Disciplina*, lib. XV, cap. 9.

ita pridem obierat, illustrissimos clientes ad se trahere videretur, et Medicæorum illa domus, studiorum altrix et magistra, communi oppressa fato jaceret!

Quis vero non indignaretur tantam homini inesse nequitiam, ut nobilissima ingenia turpissimorum criminum labe inurere gaudeat? Audias Jovium Politiani mortem more suo narrantem: « Ferunt, ait iste malevolus scriptor, eum ingenui adolescentis amore percitum, facile in lethalem morbum incidisse. Correpta enim cithara, cum eo incendio et rapida febre torreretur, supremi furoris carmina decantavit; ita ut mox delirantem, vox ipsa et digitorum nervi, et vitales denique spiritus, inverecunda urgente morte, desererent: quum maturando judicio integræ statæque ætatis anni, non sine gravi musarum injuria doloreque seculi, festinante fato, eriperentur (1). » Male certe horas et operam collocaremus, improbam istam propulsantes accusationem, quæ, si leviter excutiatur, primo statim cadit impulsu. Non autem abs re videbitur inquirere quæ fuerit parvula tanti mendacii causa, ut pateat quam levibus argumentis in criminibus fingendis nitatur hominum malignitas.

Mortuo Laurentio Medice, acerbissimo dolore oppressus Politianus carmina quædam edidit, in quibus certe absolutam perfectionem non demireris, sed angorem et tumultum animi singulari quadam vi expressos:

---

(1) Paulus Jovius, *Elog. doct. vir*, num. XXXVIII, p. 89.

Quis dabit capiti meo
Aquam? Quis oculis meis
Fontem lacrymarum dabit,
  Ut nocte fleam,
  Ut luce fleam?
Sic turtur viduus solet,
Sic cycnus moriens solet,
Sic luscinia conqueri.
  Heu! miser, miser!
  O dolor, dolor!
Laurus impetu fulminis
Illa, illa jacet subito;
Laurus omnium celebris
  Musarum choris,
  Nympharum choris;
Sub cujus patula coma,
Et Phœbi lyra blandius,
Et vox dulcius insonat.
  Nunc muta omnia,
  Nunc surda omnia.
Quis dabit capiti meo
Aquam? Quis oculis meis
Fontem lacrymarum dabit?
  Ut nocte fleam,
  Ut luce fleam?
Sic turtur viduus solet,
Sic cycnus moriens solet,
Sic luscinia conqueri.
  Heu! miser, miser!
  O dolor, dolor! (1)

En habes nunc ingenuum eum adolescentem, cujus amore percitus Politianus facile in lethalem morbum inciderit. Ea erant impurissimi furoris

(1) Politianus, *Monodia in Laurentium Medicem.*

suspiria et gemitus, quæ dum ederet Angelus, subita morte correptus, turpiter efflavit animam! Si enim ad criminationes attendas quæ infamiæ nota, si admitterentur, nomen Politiani prememerent, tibi manifestum erit maledicta, quæcumque in eum conjecta fuerint, ea tantum niti monodia.

Non potuit Varillasius pronis auribus non accipere Jovii obtrectationem, et aliquid etiam addere de suo. Itaque nos docet Politiani cantiunculam de amore suo affectu fuisse plenam adeo vehementi, ut in ipso temporis articulo quo secundam strophen finiret, exspiraverit (1). Narrat alius Angelum, cum rapida febre torreretur, custodis vigilantiam elusisse, arreptaque cithara domo exiisse, et sub fenestris græculi cujusdam quem perdite amaret, cecinisse; semianimemque ab amicis domum reductum, ibi non multo post in lectulo suo fuisse mortuum (2). Vulgo fertur,

(1) « *La passion criminelle qu'il avait pour un de ses écoliers de haute qualité ne pouvant être assouvie, lui donna la fièvre chaude. Dans la violence de l'accès, il fit une chanson pour l'objet dont il était charmé, se leva du lit, prit un luth, et se mit à la chanter sur un air si tendre et si pitoyable, qu'il expira en achevant le second couplet, le même jour que Charles VIII passa les Alpes pour aller à la conquête de Naples.* » (Varillas, *Anecdotes de Florence*, liv. IV, p. 196.) Quæ omnia falsa sunt. Notandum etiam Carolum ante diem vicesimam quartam septembris Alpes transiisse.

(2) *Politien, ce bel esprit qui parlait si bien latin, s'appelait Ange ; mais il s'en fallait beaucoup qu'il en eût la pureté....* etc. (Faydit, *Remarques sur Virgile et sur Homère, et sur le style poétique de l'Ecriture sainte.*)

inquit Vossius, obiisse Politianum fœdi amoris impatientia, capite in parietem illiso(1). Bullartus vero affirmat eum periisse, cum ex summis scalarum gradibus cecidisset, ubi ad sonum citharæ elegos quosdam de morte Laurentii caneret(2). Qui omnes, dum inter se pugnant, nullum quod aliquam fidem mereatur afferunt argumentum. Nemini itaque credimus, Valerianique amplectimur narrationem.

Mira fuit Politianum inter et Bembum cardinalem morum, studiorumque et ingenii similitudo. Itaque Bembus sæpissime Nostrum legebat et valde admirabatur; utque pietatis erga memoriam Politiani expleret officium, non ita multis annis post ejus obitum, elegiaca quædam scripsit carmina, in quibus alludens monodiæ de qua modo locuti sumus, Angelum ostendit morte correptum eo ipso tempore quo flebilibus modis et fidium lenocinio, Tartareas leges rescindere tentaret, amicumque, animæ dimidium suæ, a fato impetraturus esset:

Duceret exstincto cum Mors Laurente triumphum,
  Lentaque pullatis inveheretur equis,
Respicit insano ferientem pollice chordas,
  Viscera singultu concutiente, virum.
Mirata est tenuitque jugum : furit ipse, pioque
  Laurentem cunctos flagitat ore deos.

---

(1) Vossius, *Hist. lat.*, lib. VII, cap. 8, p. 629.

(2) *Politien tomba d'un escalier comme il chantait sur son luth une élégie qu'il avait composée sur la mort de Laurent de Médicis.* (Bullart, *Académie des hommes illustres*, t. I, p. 278.)

Miscebat precibus lacrymas, lacrymisque dolorem;
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit, et antiquæ non immemor illa querelæ,
Orphei Tartareæ cum patuere viæ:
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Fertque suas, dixit, in mea jura manus!
Protinus et flentem percussit dura poetam,
Rupit et in medio pectora docta sono.
Heu! sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniæ, Politiane, lyræ!

Bembus autem detractoribus Politiani nova videtur arma suppeditavisse, nedum carminibus suis illum ab improbitate inimicorum vindicaverit. Nulla enim neque verborum neque sententiarum habita ratione, et Laurentii nomen in levi habentes, quod omnem infamiæ et opprobrii suspicionem tollere tamen debuisset, purum amicitiæ splendorem qui in poematio relucet, turpissimi amoris teterrimis coloribus obscurare non dubitaverunt. Isti calumniæ magnam fidem præstitit celeberrimus ille Balzacius, qui primus balbutientem gallicam linguam doctrina et judicio feliciter excoluit (1). Alii præterea maledicta ista

(1) Voici ce qu'en dit M. Balzac en l'une de ses lettres : « *Nous savons maintenant la véritable mort de Politien, que le cardinal Bembe a déguisée dans l'épitaphe qu'il lui a dressée. Comme il chantait sur le luth, au-dessus d'un escalier, une chanson qu'il avait faite autrefois pour une fille qu'il aimait, lorsqu'il vint à certains vers fort pathétiques, son luth lui tomba des mains, et lui tomba aussi de l'escalier en bas et se rompit le col. Ce cardinal avait dit en son épitaphe qu'il était mort en chantant des vers lugubres sur la mort d'Alexandre, duc de*

admiserunt et propagaverunt, ut J. C. Scaliger, cujus illud in poematiis :

> Obscœno moreris sed, Politiane, furore.

et Andreas Dactius, majore verborum obscœnitate.

Jacobus Gostanzius, poeta latinus Fanensis, Politiani æquævus, epitaphium decem hendecasyllaborum Angeli memoriæ dicavit, quorum ultimi duo Politianum philtro obiisse nos docent :

> Si mortis ejus genus edoceri
> Poscis, scito hominem periisse philtro.

Rumorem istum per totam Italiam vulgatum fuisse dolet Sabellicus (1), in epistola ad Danielem Ranierum : «Doleo mortem hominis amicissimi, sed multo magis doleo causam, quæ non magis miserabilis fuit, ut mihi dicitur, quam pudenda (2).»

Ad omnes istas inter se pugnantes fabulas feliciter alludit Pamphilus Saxus in hisce carmini-

---

Florence, que Laurent son cousin avait méchamment tué. » (Pierre de Saint-Romuald, *Abrégé chronologique*, tom. III, p. 262, *à l'année* 1509.) Nemo non videt errorem maximum in quem imprudens Balzacius inciderit. Alexander ille, Florentiæ Dux, a Laurentio, vulgo dicto *Lorenzino*, jugulatus est, anno 1537, quadragesimo tertio anno, post mortuum Politianum.

(1) Historiæ Venet. libb. XXXII auctor celeberrimus.

(2) Libro X.

bus, quæ scripsit in honorem Politiani, cujus fuit amicus et popularis :

Quo cecidit fato nostri decus Angelus ævi,
Gentis et Etruscæ gloria, scire cupis?
Icterici non hunc labes tristissima morbi,
Febris ad Elysias vel tulit atra domos;
Non inflans humor pectus, non horrida bilis;
Mortiferæ pestis denique nulla lues :
Sed, quoniam rigidas ducebat montibus ornos,
Frangebat scopulos, decipiebat aves,
Mulcebat tigres, sistebat flumina cantu,
Plectra movens plectro dulcius Ismario.
Non plus Threicium laudabunt Orphea gentes,
Calliope dixit; dixit Apollo, Linum!
Jamque tacet nostrum rupes Heliconia nomen!
Et simul hunc gladio supposuere necis.
Mors tamen hæc illi vita est, nam gloria magna
Invidia Phœbi Colliopesque mori.

Si veritatem nunc de morte Politiani, post tot et tanta mendacia audire velimus, duos æquævos Angeli adeamus scriptores, quos jamdudum bibliothecarum tenebris obrutos, doctissimus abbas Mehus tandem luci reddidit (1). Prior est Petrus Parenzius Florentinus, in sui temporis historia, nondum edita; qui Politianum subita febre correptum obiisse nos docet, cum jam in eo esset, ut a summo Pontifice in purpuratorum sanctissimo collegio admitteretur (2) Posterior vero,

(1) In vita Ambrosii Traversarii, *Florentiæ historia litteraria*, anno 1759.

(2) *Aggiungesi a questo, che il discepolo suo Piero de' Medici stretta pratica col Pontifice tenea di farlo cardinale; e giu im-*

Robertus Ubaldinus, in Indice manuscripto sepulchrorum sancti Marci, Florentinæ ecclesiæ, mortis et exsequiarum Politiani verissimam nobis tradidit narrationem, quam hic habes integram:

Robertus Ubaldinus de Galliano,
Dominicanæ familiæ monachus, de Obitu
Angeli Politiani.

Sepultura *domini Angeli Politiani*. Item ne memoria oblivioni detur omnino, ubi jacet corpus clarissimi, ac doctissimi, et eloquentissimi viri Domini Angeli Politiani, canonici cathedralis ecclesiæ Florentinæ, hic mihi suprascripto fratri Roberto visum est justum et bonum annotare locum sepulturæ suæ, quoniam et teneor, quum fuerit ipse mihi olim magister, et ego illi discipulus, et ejus infirmitati frequenter interfui, una cum venerando patre, Fratre Dominico Pisciensi, familiari suo, ac etiam morti ejus, imo et qui post mortem ipsius, propriis manibus, et commissione reverendi Patris, Fratris Hieronymi Savonarolæ, Ferrariensis, generalis vicarii tunc congregationis nostræ S. Marci, dedi eidem habitum ordinis nostri, et indui corpus ejusdem habitu illo quem antea in vita optaverat et petierat, et sepulturam apud nos requisierat. Unde et domini Canonici ecclesiæ superscriptæ ad funus ejus venerunt una cum omnibus fratribus

---

petrato haveva dei primi, e quali in breve publicare si dovevano, alla predetta dignità promoverlo. (Apud Fabronium, *Elogio di Angelo Poliziano*, p. 146, *Parma*, 1800.)

nostri conventus. Huc detulere corpus ipsius de voluntate etiam suæ sororis, et quorumdam nepotum ipsius, qui tunc aderant ea de causa Florentiuæ urbi, et pro tunc sub deposito quodam in capsa una in cœmeterio secularium quod juxta ecclesiam nostri conventus est, et sub ea portione quæ in cœmeterio ipso est, et in capite portionis ipsius juxta altare, quod ibidem est, fuit conditum ipsum corpus habitu nostri ordinis vestitum. Sed post, quum nullus attinentium suorum adimplesset quod dixerant, faciendo sibi ornatum sepulchrum, ad memoriale perenne, fuit sepultum in dicta capsa in sepulchro, quod ibidem est commune, ubi fratres sepeliunt eos qui apud nos sepeliri petunt, et locum sepulturæ apud nos minime habent. Obiit autem præfatus orator summus, atque poeta insignis, de mense septembris, credo quod in principio illius mensis, non tamen memoria mea hoc tenet adamussim, sed de anno Domini 1494, eo anno quo Comes Mirandulanus, cujus etiam familiari consuetudine utebatur, et ante ipsius obitum per duos menses, et obiit in domo horto, qui dicebatur Giardinus dominæ Claricis, olim uxoris Magnifici Laurentii de Medicis. Fuerat enim præceptor Petri filii majoris natu ipsius Magnifici Laurentii, et hæc ad memoriam rei sint.»

Politiani votis certe satisfecerunt qui cineres ipsius vicinos Pici reliquiis composuerunt. Juxta sepulchrum quod in ecclesia S. Marci videre est, exiguus appositus est lapis cum sequenti disticho,

quem nescio quis poeta, Bavius certe aut Mævius, Politiano sane indignissimum, edidit :

POLITIANUS.
IN. HOC. TUMULO. JACET.
ANGELUS. UNUM.
QUI. CAPUT. ET. LINGUAS.
RES. NOVA. TRES. HABUIT.
OBIIT. AN. MCCCCLXXXXIV.
SEP. XXIV. ÆTATIS.
XL.

CAPUT XXI.

UTRUM POLITIANUS IMPIUS ET ATHEUS FUERIT?

Superest nunc diluendum deforme atheismi impietatisque crimen, in cujus suspicionem apud credulos quosque adductus est immerito Politianus. Primus fuit Ludovicus Vives, qui falsam istam criminationem instruxerit. «Angelus Politianus, inquit, totam sacram lectionem aspernabatur (1).» Idem consignantius dixit Melanchthon (tom. III *Declam.* p. 545.) «semel solum sacras litteras legisse, dixisseque nullum se tempus pejus collocavisse (2).» Calumniam istam sexcenti recantavere. (3).

Id parum credibile judicat Vossius de eo, qui sacerdos fuerit, ac canonicus Florentinus. «Etiam parum, inquit, convenire cum eo videtur, quod ipse Politianus lib. IV Epistolarum scribit, se tempore quadragesimali publice sacras litteras populo enarravisse (4).» Posteriore Vossii

(1) Ludov. Vives, *De veritate fidei christianæ*, lib. II, pag. 264, édit. Basil., 1544.

(2) Apud Vossium, *De poetis latinis*, p. 79.

(3) Inter alios multos Teissier, *in Elogiis.* (*Addit. aux éloges*, tom. I, p. 11.) Hic autem non Melanchthonis, sed Ludovici Vives auctoritatem affert, qui nunquam talia dixit.

(4) *Cum per hos quadragesimæ proximos dies enarrandis populo sacris litteris essem occupatus, perlegi tamen libros*

argumento Melanchthonis accusatione facile dilui posse quidam arbitrati sunt (1). Alii vero utrunque parvi faciunt. « Hæc ratio, ait Voetius, nimis tenuis videbitur iis qui norunt quantopere Atheismus seu Epicureismus sive Libertinismus grassetur inter sacerdotes, non tantum canonicos et monachos papales, sed etiam inter prælatos, cardinales, pontifices.» Hæc ad prius argumentum; sic deinde ad posterius. «Quasi vero postillistæ coram populo istic concionantes, ut plurimum, absque lectione scripturæ, ex inspectis legendis, postillis, homiliariis, dormi secure, thesauris pauperum concionatorum, et similibus myrothecis prædicare non soleant. Prædicavit etiam aliquando coram populo cæsar atheorum Vaninius, quod tamen illum e numero profanorum non eximit (2). » Quis non agnoscat in criminosis istis maledictis Voetium illum qui ecclesiam romanam acerbissimis insectatus est opprobriis, et cæco percitus invidiæ furore, Cartesium nostrum atheum appellavit et jesuitastrum? Frustra Voetius, ut opinionem suam ex aliqua parte firmet, Melanchthonem addit non fuisse solum qui in Angelum tale jecerit opprobrium. Putherbeus (3) enim,

---

carminum tuorum, quos mihi tu pro singulari humanitate tua, mutuoque inter nos amore dedicaveras. (Polit., Joan. Gottio Ragusino, Epp. lib. IV, 10.)

(1) Boxhornius, *in Monument. illust. vir. apud Pope Blount,* (Censura auctorum, p. 359), Borremans, *Var. lect.*, p. 126.

(2) Voetius, *Disp. theol.*, tom. II, p. 1273 et 1274.

(3) Putherbeus, *De tollendis et expurgandis malis libris*, lib. I, p. 81.

inquit, in Lutheranos et Calvinistas odio notissimus, Melanchthonis adstipulatur testimonio. Sed, ut optime animadvertit Bælius (1), Putherbens Ludovicum Vivem ad verbum transcripsit, quod idem fecit Du-Plessis Mornai (2). Omnia ergo illa testimonia in uno continentur, nec majorem ideo Ludovici verbis fidem addere possunt.

Vossii argumenta Cronio non probantur (3), qui prædicatores decimi quinti sæculi demonstrare conatur, nec in sacrosanctis codicibus versatos fuisse, nec in sacris etiam pulpitis res divinas satis digne Deo et argumenti majestate disseruisse. *Aristarchum* præterea adducit *Philosophum*, librum, ut ipse ait, admodum rarum, et inde paucis hic notum (4), in quo multa quidem inveniuntur singularia et notatione digna, sed nihil contra Politianum efficientia. Ut autem uno verbo litem dirimamus, argumentorumque molem penitus evertamus, satis superque erit Politianus ipse, quem inducemus non jam ex vanis rumoribus loquentem, sed propria, quæ ipse manu sua consignavit, verba afferentem.

---

(1) *Dictionnaire philosophique*, tom. IV, p. 720, Amsterdam, 1734.

(2) Mornai, *Vérité de la religion*, chap. 36.

(3) Thomas Cronius, *Animadversiones phil. et hist.*, part. III, p. 22 et sequent., edit. Lugduni Batavorum, 1698.

(4) *Aristarchi philosophi* auctor est Henricus Eruslius, Danorum Regis consiliarius. Editus est Aristarchus Hamburgi, an 1678, in-8°.

Manlius, in Locorum communium collectaneis, quæ pleraque ex Melanchthonis Declamationibus deprompsit, breviarii lectionem præsertim fastidiisse Politianum nos docet : Politianus, inquit, interrogatus an legisset horas canonicas, dixit : « Semel perlegi istum librum, et nunquam pejus collocavi tempus (1). » Nulla autem auctoritate confirmatur Manliana assertio; nec facile dixeris quibus nitatur argumentis falsus iste rumor; dum e contrario Politianus partem noctis in legendis horis canonicis consumere expresse declarat. In epistola enim ad Cæsarem Carmentum, sic loquitur : « Melior diei pars lectionibus variis mihi teritur; reliqua datur amicis opera. Noctem sibi quies et somnus cum precibus, horario, et stylo dividunt. » Idem Politianus Puccio Florentino Romæ, tempore pestilentiæ, degenti, pietatem et preces suadet, ut se a morbo vindicet : « In primis exposce quotidie summi Dei pacem, per sacra et aras : cui non dubito quin salus tua curæ futura sit, cum fides cordi esse debeat ea, quam patriæ præstas (3). »

Politianus, si eidem Melanchthoni est credendum, Dionysii Capnionis verba referenti, psalmos Davidicos minoris faciebat, quam odas Pindaricas. « Dionysius Capnio, qui adolescens audivit Angelum Politianum, narrabat eum interroga-

(1) Joannes Manlius, in *Locorum commun. collectan.*, titulo *De satisfactione*, p. m. 99.

(2) Polit. Epp., lib. IV, 4.

(3) Polit. Epp., lib., VII, 31.

tum aliquando, quid de psalmis Davidicis sentiret, et ad quid prodesse eorum lectionem judicaret, respondisse, sibi vero placere illa antiqua carmina, et continere ea partim honesta præcepta; partim gravissimas conciones de Providentia et de sceleratorum pœnis; partim querelas de infirmitate hominum ad frænandos immoderatos impetus; partim historias ejus gentis. Sed addidit Politianus hanc collationem, res easdem dulcius et splendidius narrari in odis Pindaricis; ibi pingi Ixionem in rota clamantem :

Discite justitiam moniti, et non spernere divos;

ibi describi Bellerophontem, propter priores victorias factum insolentiorem, et vehi Pegaso intra cœlum volentem, id est, res non necessarias ambitiose moventem, excuti a Pegaso et dejici in Ciliciam; ibi celebrari Pelei castitatem, qui expetitus ab Acasti conjuge, et ab ea falso accusatus, et objectus Centauris, servatur accepto gladio divinitus. Denique multas imagines pulcherrimas, multas historias et gravissima præcepta tradi. Hæc Politiani oratio etsi speciosa est, tamen est hominis ignorantis discrimen inter genera doctrinarum, inter legem et Evangelium (1).» Manlius judicium illud de Psalmis non Politiano, sed Lazaro tribuit Bonamico. « Lazarus Bonamicus, vir doctus, cum esset interrogatus quomodo

(1) Melanchtho, in *Epistola ad Adamum Cratonem, præfixa Exegesi Nicolai Asclepii Barbari,* De antiquo et profundo judicio Dei.

ei placeret Psalterium, respondit placere sibi, recitari enim ibi egregias sententias de Providentia; sed tamen nihilo melius esse quam Pindari poema (1).» In his verbis Bonamici, psalmis Davidicis odæ Pindaricæ non dicuntur potiores. Neutri enim, nec Thebano, nec Prophetæ, primæ partes tribuuntur. Gregorius tamen Michael, Caffarellii Curiositatum explanator, Lazarum Bonamicum Pindari carmina lyrica psalmis Davidicis prætulisse, Germani cujusdam theologi innixus testimonio, affirmare non dubitat : « Ejusdem blasphemiæ veneno correptus fuit Lazarus Bonamicus Italus, qui vociferabat se odas Pindaricas præferre hymnis Davidicis, (vid. Beati Dn. Selnecceri Explicationes in 1 Cor. 8, p. 496.) (2). » Politianum Selneccerus ejusdem impietatis reum fuisse dixerat. Testimoniorum ea discrepantia Melanchthonem, et alios qui eum secuti fuerint, sibimet parum constitisse demonstrat. Quæcumque Melanchthonis supra retulimus, in Epistola ad Christophorum Carlowitz Peucer inseruit (3).

Nec solum impietatis, sed etiam atheismi reum Voetius Politianum voluit; eumque Epicureismi, aut saltem Lucianici neutralismi, si Voetio barba-

---

(1) Manlius, in *Loc. commun. collectan.*, titulo *De Vet. et Nov. Testamento*, p. 81.

(2) Gregorius Michael, Præpositus Regius Flensburgensis, *Notæ in Jacobi Caffarelli Curiositates*, p. 110.

(3) Peucer, *Epistola ad Cristophor. Carlowitz.* Vide etiam Saldenum *De libris*, p. 434.

rismum istum concesseris, suspectum habuit (1). Quo quidem modo Politianus et alii vitam finierint se nescire fatetur; sed observata studiorum ratione, inquit Voetius, facile credas omnes istos cum Averroe sensisse, qui, fidem christianam pertæsus, animum suum inter philosophos vitam æternam vivere maluit. Nulla ipse fultus auctoritate, *Petrus de saint Romuald,* dubitanter quidem, easdem calumnias iteravit, Politianumque dixit atheismum clam professum fuisse cum Marsilio Ficino, et Domitio Calderino sacerdote (2).

Nobis autem, quæcumque in Politiani aut aliorum libris tali accusationi locum dare potuissent, diligenter investigantibus, una occurrit sententia quæ malignitatem pateretur interpretationum. Ea enim verba in Pici Mirandulæ libro de *Ente et Uno*, invenimus. « Rectissime tibi (Antonio Citadino) quærenti inter disputandum, quid esset Deus? respondit vir doctissimus Politianus noster, ex Simonidis sententia, se nescire quid esset (3). » Quis autem non videat tali responsione Politianum exprimere in mente habuisse, quam sit arcana et infinita Dei natura, et ab humana cognitione remota?

Præterea mors Politiani, ejusque in ultimis vitæ angustiis maxima pietas, qua voluit Prædicatorum Fratrum habitu vestitum sepeliri, nobis

---

(1) Voetius, *Disput. theolog.*, tom. I, p. 206.

(2) Pierre de Saint-Romuald, *Abrégé chronologique*, t. III, p. 262, à l'année 1509.

(3) Picus Mirandula, *De Ente et Uno,* cap. X.

Roberti Ubaldini narratione sunt notissimæ, qui tenuissima quæque scribendo prosecutus est. Multa quoque ex Angeli scriptis excerpere potuissemus, quæ tibi firmissimis argumentis ipsius pietatem comprobassent, nisi satis et ultra iis quæ diximus fuisset demonstratum, criminosas istas accusationes nullum aliud quam invidiam ignorantiamque fundamentum habuisse.

CAPUT XXII.

DUODECIM EPISTOLARUM LIBRI.

Si corporis deformitas et fœditas vultus perversi et corrupti animi essent iudicium, Politianus certe pravis fuisset moribus et pessima indole. Quod si Jovio fidem adhibeamus : « Erat distortis sæpe moribus, uti facie nequaquam ingenua et liberali, ab enormi præsertim naso subluscoque oculo perabsurda, ingenio autem astuto, aculeato, occulteque livido, quum aliena semper irrideret, nec sua, vel non iniquo judicio, expungi pateretur (1). » Neminem autem fugit nullam fere litteratorum imaginem Jovium veram expressisse et genuinam. Omnia enim naturæ vitia, pro sua malignitate, amplificare gaudebat, nedum in melius officiosus aberraret. Præterea ea est hominum falsa opinio, ut si quis deformis specie nobis inauspicatus et infaustus occurrat, minime bonus esse credatur, cum plerique exteriorem formam corporis occulti animi signum judicent. Sed quemadmodum in gemmis sæpenumero sub ignobili forma latet pulcherrima natura, sic in corpore deformi latet sæpe insignis animus. Quod de Politiano verissime dici potest.

(1) Paulus Jovius, *Elog. doct. vir.*, p. m. 88.

Non fuit certe pulchra facie, aut concinno corpore, ut ipse fatetur, dum Mabilio acerbissime respondet :

Quod nasum mihi, quod reflexa colla
Demens objicis, esse utrumque nostrum
Assertor veniam vel ipse, nam me
Nil nasutius est, sagacinsque,
In te dum liceat vibrare nasum.
Nam quis te rogo sic inelegantem,
Insulsum, illepidum videns, ineptum.
Versus scribere prorsus infacetos,
Non centum cupiat sibi esse nasos,
Centum rhinocerotas, atque barros,
Rhonchos, auriculas, ciconiasque
Cum splene et petulantibus cachinnis? (1)

Nec ideo Politianum perabsurda fuisse facie Jovio concedemus, non paucis repugnantibus numismatibus; illudque solum dicemus quod in Galbam oratorem, eloquentia clarum, sed gibbo deformem lusit M. Lælius, dicens ingenium Galbæ male habitare. Corpus enim animi domicilium est: Porro ingenium ingens inculto sub Politiani corpore latuisse, humanissimamque indolem, satis superque demonstrant duodecim Epistolarum libri, de quibus pauca nunc dicenda sunt, ut absolutam fecerimus omnium Politiani quæ supersunt operum recensionem.

Quantum autem commodi et jucunditatis afferant clarorum virorum epistolæ, adeo apud omnes constat, ut hic nobis de hac re nihil ferme

(1) Politianus, in libro *Epigrammatum*.

animadvertendum sit. Nullum enim est aliud scribendi genus quod sit in declarandis veris animi affectibus et intimis sensibus magis sincerum et verax. Multa præterea in epistolis occurrunt, quæ historias illustrare, obscuras litterarum scientiarumque partes dilucidare, reconditiores etiam populorum usus et mores feliciter explanare possint. Quod quidem experti sunt illi qui Ciceronis epistolas perlegerunt, in quibus vel maxime tantus ille animus comprehenditur et posteritati commendatur.

Non equidem Angelus perpetuum sibi ac unicum exemplum Tullium proposuerat; ideoque epistolæ ejus plus habent delectationis, quia Politianum nobis ante oculos, non Ciceronem, constituunt. Quod si Tullius in epistolis, quæ ab ipso et ad ipsum scriptæ sunt, nobis rempublicam a principibus distractam dilaceratamque, suorumque temporum exhibet mœrores et angustias, Politianus, non pari quidem rerum pondere, nec tanta commendandus argumentorum varietate, magna tamen nobis cum jucunditate omnia proponit quæ tunc temporis litterarum rempublicam commovebant, scriptorum in eruendis e tenebrarum situ veteris sapientiæ monumentis studium et diligentiam, eorumque post inventum librum, qui in angulo quodam lateret, exsultantem lætitiam, nec non simultates et jurgia, et regum in promovendis litteris beatam conspirationem. Tan-

(1) Polit. Epp., lib. I, 1.

tum itaque hujus litteræ suavitatis habent atque utilitatis, ut non leviter eas nec veloci oculo percurrere, sed attenta lectione iterum atque iterum pervolvere debeat litterarum amicus et fautor.

CCLVII epistolas duodecim libri continent, quarum CXLI a Politiano, et CXVI ad Politianum scriptæ sunt. Cum enim sæpissime egisset cum Nostro Petrus Medices, ut suas tandem colligeret epistolas, et in volumen redactas publicaret, Angelus, ne non in omnibus patrono suo obsequeretur, collegit eas quarum sibi exempla retinuerat; nonnullasque etiam missas ad se, sed a doctis duntaxat, ut instar voluminis efficeret, inseruit(1). Magnam igitur in illis personarum argumentorumque invenias varietatem. Omnes enim qui tunc temporis vixerunt viri, doctrina clari aut dignitate conspicui, Neapolitanis tantum, ut supra vidimus, exceptis, nec non multi purpurati, summi etiam Pontifices Regesque, familiari cum Politiano litterarum usi sunt commercio. Suam in epistolis cujusque videas expressam indolem, suum scribendi genus; in Hermolao Barbaro, ornatam ubique verborum et sententiarum concinnitatem; in Joanne Pico Mirandula, mixtam dulci festivitate gravitatem, qua philosophi partes sustinere conatur; in Marsilio Ficino, divini quasi spiritus afflatum qui orationem totam replet et concitat; in Antiquario, in Guarino, in Phosphoro et in multis aliis, doctrinæ haud infaustam curiosita-

(1) Polit. Epp., lib. I, 1.

tem; in Merula et in Bartholomæo Scala, licet dissidentibus, urbanitatem quamdam, et in ira etiam comitatem, quam frustra in eorumdem quæras iambis et hendecasyllabis.

Cui autem veterum in conscribendis epistolis, Politianus sit propior, haud facile diceres. Namque est omnino stylus epistolarum ejus ipse sibi dispar. Non enim, ut sæpius jam animadvertimus, alium imitatione consequitur Politianus, sed proprio gaudet ingenio. Ipse lepidissimis verbis de epistolarum genere suarum scribit ad Petrum Medicem; quas haud inurbanas facetias hic referre placet: « Occurret aliquis forsan qui Ciceronianas esse neget; huic ego dicam, nec sine auctore tamen (1), in epistolari stylo silendum prorsus esse de Cicerone. Rursus alius hoc ipsum culpabit, quod æmuler Ciceronem: sed respondebo, nihil magis esse in votis quam ut vel umbram Ciceronis assequar. Optaret alius ut oratorem Plinium saperem, quod ejus et maturitas et disciplina laudatur: ego contra totum illud aspernari me dicam Plinii seculum; sed et si Plinium cuiquam redolebo, tuebor ita me, quod Sidonius Apollinaris, non omnino pessimus auctor, palmam Plinio tribuit in epistolis. Symmachum si cui referre videbor, non pudebit, ut cujus et brevitas celebretur, et rotunditas; abesse rursus a Symmacho si cui credar, negabo mihi siccitatem placere. Longiores quædam dicentur epistolæ: tales Plato

(1) Sidonius Appolinaris, Epp. lib. I, 1, male intellectus.

scripsit, Aristoteles, Thucydides, Cicero; dicentur aliæ contra nimis breves; objiciam tunc ego Dionem, Brutum, Apollonium, Marcum, Philostratum, Alciphronem, Julianum, Libanium, Symmachum, sed et Lucianum, quem falso Phalarim vulgo putant. Damnabit alius me, quod argumenta non sint hic epistolaria : damnari me patiar, sed cum Seneca. Nolet aliquis in epistolis sententias : provocabo rursus ad Senecam; poscet alius rursum sententias : huic ergo pro me Dionysius resistet, ac pertinere sententias ad epistolam negabit. Stilus esse nimium dicetur apertus : hunc tamen laudat Philostratus; dicetur obscurus : at est ad Atticum talis Marci Tullii. Negligens erit : at epistolis negligentia est ipsa pro cultu; rursus erit diligens : convenit maxime, quoniam pro munere mittuntur epistolæ. Si concinnitas ibi sit, asseretur a Dionysio; si desit, ab Artemone. Tum quoniam romani quoque sunt atticismi quidam, si non erit attica, decebit hoc ipsum; nam quo alio damnatur Herodes, quam quod Atticus homo nimis atticisset? Sin contra nimis attica, Theophrastus hic proferetur, in hoc notatus ab anicula, licet homo non atticus. Non erit festiva : me vero severitas delectat; non erit severa, sed ego deliciis capior. Figuras habebit : has ergo ipsas quasi gestus amat epistola sermoni propior; carebit figuris : at hoc ipsum, carere figuris, figurat epistolam. Promet indolem scribentis : id quoque præcipitur; non promet : non scilicet quæsivit, ut quæ carere ambitione debet. Circulo claudetur : hoc et Græci faciunt; aberit

circulus : nec hoc Philostratus improbat. Soluta erit, et incomposita ; non displicet Aquilæ. Pedes habebit et juncturam, non displicet Quintiliano. Non aget, non est enim dialogus; aget, est affinis dialogo. Communiter dicis, inquit alius, quæ communia, noveque quæ nova : cum stylo res igitur congruit; imo autem communiter nova dicis, nove communia : nempe quoniam memor sum præcepti veteris, τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς. Ad hunc igitur modum, posse usquequaque spero tergiversari (1). »

Nimis elatus et oratorius, haud sane immerito, Scaligero visus est epistolarum Angeli stilus. « Inter eos omnes, inquit, qui bonas litteras suscitarunt in Italia, invideo tantum tribus his : Theodoro Gazæ, magno certe viro et docto, qui tamen in librorum Aristotelis *De animal.* versione lapsus est aliquibus locis; Angelo Politiano, excellenti poetæ, ut in omnibus aliis, præterquam in epistolis, quarum stylum imitari nolim elatum et oratorium, sed potius Cæsaris, Cassii, Planci, Bruti, et aliorum apud Ciceronem, maxime vero Mucii et Cincinnæ, et Plinii Secundi, qui tamen non est superioribus conferendus, ut nec Cicero qui non simplici stylo sæpissime utitur. Tertius est Picus Mirandulanus (2). » Tanti faciebat epistolas Politiani clarissimus noster Dux *de Mon-*

---

(1) Polit. Epp., I, 1.

(2) *Prima Scaligerana, Groningæ apud Petrum Smithæum*, an. 1669, p. 102 et 103.

tausier, ut illarum exemplaria quædam sæpius in perula secum ferret, libentissimeque familiaribus impertiret (1).

(1) *Mélanges d'histoire et de littérature recueillis par Vigneul-Marville, ou plutôt Dom d'Argonne, chartreux, déguisé sous ce nom.* Paris, 3 vol. in-12, vol. 2.

—

CAPUT XXIII.

DE POLITIANI OPERIBUS QUÆ PRÆMATURA EJUS MORTE INTERCEPTA, AUT HOMINUM INCURIA LAPSUQUE TEMPORUM DEPERDITA, NUNC DESIDERANTUR.

Non pauca doctæ antiquitatis monumenta, grassante seculorum barbarie obruta, penitus exciderunt, æternisque nunc jacent tenebris. Multa etiam, injuria temporum mutila et obtruncata, ita pristinæ formæ dignitatem amiserunt, ut in eis divinæ artificisque manus vestigia vix agnoscere queas. Quod quidem majorem luctum quam admirationem movere debet. Adeo enim sunt multæ pestes quæ omni tempore litteras devastant, ut nihil mirari debeamus tot libros interiisse, quorum nomina sola exstant; incendia, tempestates, tineæ, hominum invidia, et cæcus bellorum furor, monachorum etiam, qui tamen de litteris tam bene meriti sunt, nimia pietas, qua, membranis deficientibus, antiquos sapientiæ libros novis opprimebant scripturis, palimpsestosque onerabant orationibus ad Deum et conciliorum decretis. Hæc omnia atque alia monstra, campos

(1) Maximam quidem ex accuratissimis Menckenii disquisitionibus utilitatem hic percipimus. Multa tamen resecuimus, nova etiam quædam adjecimus, omniaque, quod speramus, in meliorem ordinem disposuimus.

sapientiæ saluberrimus aquis fecundatos, felicique fructuum proventu superbientes, miserabilem in modum depopulata sunt.

Minime ergo mirari debemus quosdam Politiani libros communi præstantissimorum laborum fato interiisse, aut magno litterarum incommodo remotissimis bibliothecarum carceribus ad hunc usque diem captivos teneri. Quam quidem sortem nemo, nisi sit omnis expers doctrinæ admodumque inhumanus, satis unquam deflere poterit. Serventur itaque posteritati nomina saltem eorum operum, quæ minus fortasse judicio suo absoluta, Politianus typis mandanda non curavit, aut quæ imperfecta et tantum inchoata, utpote abortivos ingenii fœtus, æterna ipse morte damnavit.

I. Librorum aliquot Homeri, aut etiam totius Iliados latinis carminibus interpretatio, de qua jam longius disseruimus (1).

II. *Quæstiones naturales Alexandri Aphrodisiensis.* Differunt hæ naturales quæstiones a naturalibus problematibus quæ exstant in Politiani operibus. Græce inscriptæ sunt hæ quæstiones : Φυσικῶν Σχολίων ἀποριῶν καὶ λύσεων βιβλία δ'. Latine igitur diceres : Physicorum scholiorum per dubitationes et solutiones libri IV. Sed compendiis verborum studens Politianus, contracte Quæstiones naturales dixit (2).

(1) Capite IX.
(2) Menckenius.

III. *Hippocratis Aphorismi, cum Galeni commentariis.* Fuisse et aphorismos Hippocratis cum commentariis Galeni, laudabili instituto, in latinum translatos a Politiano, testimonio constat præ cæteris Petri Criniti : « Cæterum quod ad Politiani pertinet interpretationem (Alexandri Problematum), tantum pro tempore illud admonuerim, Politianum ipsum, si paulo plus in humanis egisset, multa fuisse vel his additurum, vel inducturum, ut omnino pleniora essent hæc omnia, decoctioraque. Jam nec illud, humanissime Princeps, omiserim, quod oracula quoque ex Hippocrate, cum Claudii Galeni commentariis (ita enim τοὺς ἀφορισμοὺς appellabat) latini homines legerent. Nam et pars adhuc aliqua exstat, ac plurimum in ea re laboris et vigiliarum, quod is olim mihi referebat, exhausit. Sed hunc laborem quidam e charis suppleruut (1). » Qui labor ab amicis completus, omnino tamen excidit, neque ulli postea visus est.

IV. *Xenophon, de Memorabilibus Socratis.* Hæc Xenophontis ἀπομνημονεύματα unus est Jac. Phil. Bergomensis, qui e græco in latinum translata a Politiano doceat (2). Intelligit sine dubio librum Xenophontis, quem is inscripsit ἀπομνημονευμάτων Σωκράτους βιβλία δ', quemque imitaturus Arrianus

(1) *Petri Criniti Epistola ad Joannem Franciscum Mirandulanum, adjecta interpretationi problematum Alexandri.*

(2) Vide *Supp. supp. Chronic.*, p. 435.

Nicomediensis scripsit libros quatuor Ἀπομνημονευμάτων Ἐπικτήτου. In hoc libro latine vertendo desudarunt, qnod constat, Bessarion cardinalis, et Joannes Leunclavius.

V. *Demosthenes, de syntaxi orationis.* Orationis Demostheneæ cui titulus : Συμβουλευτικὸς, ἤτοι ὁ περὶ τῆς Συντάξεως, interpretationem latinam, a Politiano adornatam, memorat Phil. Labbæus, in *nova Bibliotheca manuscriptorum librorum, suppl.* X, p. 372, ubi communicatum secum refert ab Isaaco Heraldo, Desiderii filio, catologum librorum aliquot manuscriptorum, quos, ex Anglia in urbem Parisiensium jampridem translatos, comparaverit sibi an 1652, nobilis quidam Germanus cujus hic tacetur nomen.

VI. *Miscellaneorum centuria altera.* Hoc opus absolutum a Politiano fuisse nos docent, tum Politianus ipse in initio præfationis centuriæ primæ (1), tum Petrus Crinitus in epistola ad Alexandrum Sartium, cui locos aliquot ex altera Politiani centuria mittit. « Dixi alias tecum quemadmodum Politianus alteram centuriam absolverat, quod ab eo te prope hortante factum

---

(1) *Cum tibi superioribus diebus, Laurenti Medices, nostra hæc Miscellanea inter equitandum recitaremus, delectatus arbitror novitate ipsa rerum et varietate non illepida lectionis, hortari cœpisti nos, ut unam saltem ex eis centuriam (nam centenis libri singuli capitibus explicantur) publicaremus.*

est, qui tantopere suis favebas laboribus (1). Idem Crinitus, in *Honesta Disciplina*, queritur quod hoc publicum munus quidam privati juris fecerint : «De hoc, inquit, a Politiano relatum est in secunda centuria; sed ejus commentarii magna ex parte ab his retinentur atque occultantur qui meliores litteras et antiquitatem impudentissime contemnunt (2). »

VII. *Annotationes in Statium*. Politianus adolescens notulas aliquot in Sylvas Papinii adscripserat in marginibus domestici codicis, quas postea in prælectionibus suis auctas atque meliori ordine dispositas, studiosi quidam exceperunt, publicique juris fecerunt (3). In eis præsertim intacta a Domitio Calderino explicavit, aut explicata ab eo meliora reddidit (4).

VIII. *In errores linguæ latinæ liber*. De libro hoc, inquit Menckenius, quem, si scriptus est revera a Politiano, omnium maxime publicatum vellem litterarum causa, nihil habeo quod dicam, nisi in scriptis Politiani numerari hunc a Jo. Trithemio in *Catal. script. Eccles.*, pag. 166, B, nec non a P. Angelo Roccha a Camerino in limine *Bibliothecæ apostolicæ Vaticanæ*, Romæ, anno

(1) Polit. Epp., lib. II, 21.

(2) P. Crinitus, lib. XI, *de Honesta Disciplina*, cap. 13.

(3) Polit. Epp., lib. VI, 1.

(4) Tydeus Acciarinus ad Politianum, Polit. Epp., lib. VII, 3. Vide etiam Miscellan., cap. LXV.

1591, editæ, et a P. Julio Negrio in *Istoria degli scritt. Fiorent.* p. 46. Verisimile autem est hunc librum Politiano falso tributum fuisse a Trithemio, cujus errorem secuti sunt Roccha et Negrius.

IX. *Carmen de Juliani cæde.* Præter Pactianæ conjurationis librum, Politianus carmen de Juliani cæde ediderat; quod nos docet Hieronymus Donatus, his verbis : « Attamen meminisse te suspicor, fere enim quinquennium agitur, cum apud nos versabaris, te Hermolao ac mihi, tunc parentis et patrui morte squalido ac pullato, carmen illud aureum de sacrilega ac sanguinaria Juliani cæde recitasse (1). »

X. *Carmen de Diis Gentilium.* Refert Henric. Brenckmannus in *Hist. Pandect.*, lib. IV, cap. 1, pag. 308, in catalogo manuscriptorum Bibliothecæ Gaddianæ, quæ est gens in Florentinis nobilissima, relatum se vidisse inter poetas formæ majoris (fol°) Politiani carmen *de Diis Gentilium*, opus tamen ipsum non invenire potuisse.

XI. *In Fastos Nasonis Commentarius poeticus.* Tale opus scriptum fuisse a Politiano memorat Jac. Gaddius, cujus verba hic integra damus : « Politiani opus a me non visum, laudat magni judicii adolescens, Michael Verinus, in Epistola ad Petrum Medicem, Laurentii filium, cujus di-

(1) Polit. Epp., lib. XI, 11.

midium non piget exscribere : « Non sine magna voluptate, vel potius admiratione, Politiani tui poema, alterum Nasonis opus, legi. Dum enim Fastos, qui est illius divini vatis liber pulcherrimus, interpretatur, alterum nobis pene effinxit, carmen carmine expressit, tanta diligentia, ut, si titulum non legissem, Ovidii etiam putassem(1).

XII. *Cantatiunculæ et varia Poematia*, de quibus sic Politianus : « Ecce alius Bacchanalibus Fescenninorum argutias, alius conciliabulis sanctas sermocinationes, alius citharæ miserabiles nænias, alius pervigilio licentiosas cantilenas efflagitat(2).

Susceperat præterea Politianus præclaros utilesque labores multos, quorum nobis vestigia, aut ipse passim in scriptis suis Angelus, aut inventa post mortem ejus adversaria præbent. In nobilissimis his institutis nominari præ cæteris merentur præstantissimi ejus in jus civile, Medicos, et Philosophos veteres, artes liberales quascumque, et Prælectionem poeticam, quam Nutricia inscripsit, commentarii, porro imperatorum romanorum(3), Joannis Lusitaniæ regis, et Vice-

---

(1) Jacobus Gaddius, *De Script. non Ecclesiast.*, t. II, p. 136.

(2) Polit. Epp., lib. II, 13. Vide etiam Crescimbeni, *Storia della volg. Poesia*, lib. II, p. 39, e in *Comment.*, v. II, p. 11, lib. III, p. 187.

(3) *Nos ad historiam de Romanis principibus conscribendam, magno spiritu, atque animo adgressi sumus. Et quamvis oram nuperrime solverimus, paulumque adhuc a portu promoverimus, tamen ferentem nacti ventum æquo pede pro-*

comitum Mediolanensium Historiæ, de Historiæ Augustæ scriptoribus dissertatio, denique veterum tam Græciæ quam Latii scriptorum emendationes, et ad hos annotationes, rem Græcam et Latinam, si prorsus elucubratæ prodiissent, luce haud dubie clarissima collustraturæ (1). Nobis igitur Politiano, si præmaturi præsertim exitus rationem habeamus, uberrimam ingenii venam fuisse licet asserere. Nec ideo publica neglexit munera, sed studiosam juventutem quotidianis prælectionibus erudiit, multasque amicitias, et in primis Medicæorum, non interruptis officiis coluit.

---

vehimur. Neque dubitamus, quin prospero Innocentii favente numine, cujus ab auspicio proficiscimur, perpetuo nobis Alcedonia futura sint. (Polit. Epp., lib. VIII, 9.)

(1) Menkenius, sect. II, cap. 4, p. 611.

CAPUT XXIV.

POLITIANI STILUS.

Magna post Angeli mortem inter litteratos orta est contentio, cum plerique ipsius stilum omnino fuisse ciceronianum contenderent, alii vero enixissime negarent. Politianus jam et Paulus Cortesius de ea re quæstionem habuerant. Angelus enim cum epistolas quasdam Cortesio remitteret, talia de Ciceronis imitatione, data occasione, docuit : « Remitto epistolas diligentia tua collectas, in quibus legendis, ut libere dicam, pudet bonas horas male collocasse. Nam præter omnino paucas minime dignæ sunt, quæ vel a docto aliquo lectæ, vel a te collectæ dicantur. Quas probem, quas rursus improbem, non explico. Nolo sibi quisquam vel placeat in his auctore me, vel displiceat. Est in quo tamen a te dissentiam de stilo nonnihil. Non enim probare soles, ut accepi, nisi qui lineamenta Ciceronis effingat. Mihi vero longe honestior tauri facies, aut item leonis, quam simiæ videtur, quæ tamen homini similior est. Nec ii qui principatum tenuisse creduntur eloquentiæ, similes inter se, quod Seneca prodidit. Ridentur a Quintiliano qui se germanos Ciceronis putabant esse, quod his verbis periodum clauderent, *esse videatur*. Inclamat Horatius imitatores, ac nihil aliud quam imitatores. Mihi certe, qui-

cumque tantum componunt ex imitatione, similes esse vel psittaco, vel picæ videntur, proferentibus quæ nec intelligunt (1).» Ad quæ Cortesius respondet talia, utpote qui malebat esse assecla et simia Ciceronis, quam alumnus aut filius aliorum: «Libenter fatebor, cum viderem eloquentiæ studia tamdiu deserta jacuisse, et sublatum usum forensem, et quasi nativam quamdam vocem deesse hominibus nostris, me sæpe palam affirmasse, nihil his temporibus ornate varieque dici posse, nisi ab his qui aliquem sibi proponerent ad imitandum; cum et peregrini expertes sermonis, alienas regiones male possint sine duce peragrare, et anniculi infantes non nisi in curriculo, aut nutrice præeunte inambulent. Cum autem multi in omni eloquentiæ genere floruerint, memini me unum Marcum Tullium ex doctorum acie abduxisse, in quem omnium ingeniosorum hominum studia conferenda putarem. Non quod ignorarem multos dicendi gloria præstitisse, qui et acuere industriam, et multis oratoriis virtutibus alere ingenia possent. Sed et quia videbam hunc unum omnium seculorum consensu principem esse judicatum, et quia a puero didiceram in omni numero semper optimum esse eligendum: corrupti stomachi, et intemperantis ægri esse putabam deteriorem cibum seligere, salutarem et optimum aspernari (2).

(1) Polit. Epp., lib. VIII, 16.
(2) Polit. Epp., lib. VIII, 17.

Nec multo post (1), Desiderius Erasmus ut ab angustâ et servili Ciceronis imitatione scriptores deterreret, Ciceronianum suum edidit, qui tot clamores in litterarum republica concitavit (2). In quo tres inducit actores dialogi, de Tulliano stilo ex professo disserentes, quærentesque non sine magna contentione, quis inter scriptores sit nec ne ciceronianus; Nosoponum nempe, ciceroniano morbo gravissime laborantem, Bulephorum sanius de ea re sentientem, Hypologumque, qui nullius primo jurare in verba addictus, Bulephori tamen argumentis inductus, ad anti-ciceronianos aut potius ad rationem transit. Ex illo igitur dialogo, quæcumque ad Politianum pertinent, excerpta hic habes:

Bulephorus. Bene habet. Unum, ni fallor, reperi, quem non rejicies; Angelum Politianum. Nam Marsilium Ficinum proferre non audeo.

Nosoponus. Fateor Angelum prorsus angelica fuisse mente, rerum naturæ miraculum, ad quodcumque scripti genus applicaret animum, sed nihil ad phrasim Ciceronis, diversis virtutibus, suspiciendus est (3).

---

(1) Anno 1528.

(2) Adeant Erasmi vitam, a doctissimo nostro *de Barigni* accuratissime descriptam, quicumque pauca quidem, sed maxima cura elaborata, de Ciceroniano bello legere cupient. *Paris*, 1757, 2 vol. in-12.

(3) *Dialogus, cui titulus Ciceronianus, sive de optimo genere dicendi.* Vide Desiderii Erasmi Roterodami opera omnia. Lugduni Batavorum, 1703, 11 vol. in-fol., tom. I, p. 1009, D.

Bulephorus. Utrum malles esse, Politianus, an Paulus Cortesius.

Nosoponus. Politianus.

Bulephorus. At alter videri postulat Ciceronianus (1).

Et alibi :

Bulephorus. De Bartholomæo Scala dicam, cui Hermolaus et Politianus visi sunt parum Ciceroniani, ipse sibi Tullianus est visus, utcumque dissimulat. At ego malim somnia Politiani quam quæ Scala sobrius summoque studio elaboravit. Paulus Cortesius non dissimulat hujus affectationis studium, sed, Deum immortalem, quanto longius illius epistola discrepat ab imagine Ciceronis, quam Politianica cui respondet! Sed non alia re mihi videtur Ciceroni dissimilior Cortesius, quam quod toto fere sermone aberrat a scopo. —At Politianus qui audiebat non ciceronianus, quanto melius Ciceronem exprimit, breviori licet epistola, non tantum sententiarum argutia, verum etiam verbis aptis, elegantibus ac significantibus! Etiamsi me non fugit hujus viri meritis famam apud eruditos Italiæ, malignius respondisse, quam ob rem, nescio. Neque vero mihi dicuntur hæc in sugillationem Cortesii; nec enim contumeliosum est postponi vix cuiquam imitabili Politiano, sed ut adolescentibus exemplo commonstretur, quid sit vere Ciceronem exprimere (2). »

(1) *Dialogus, etc.,* t. I, p. 1023.

(2) *Ibidem,* p, 1024, C.

Sæpissime Erasmus Politiani nostri maximis cum laudibus mentionem fecit. In epistola ad Udalricum Zasium : « Politianicam illam venerem ac delicias mire referre videtur, cujus viri ingenio semper ita sum delectatus, ut nullius æque(1). » Idem, in epistola ad Guil. Budæum, Hermolaum Barbarum et Angelum Politianum egregios heroas appellat, et omnium consensu prorsus inimitabiles, et in Adagiis Angelum dicit virum modis omnibus et incomparabilem et inimitabilem(2). Nimios etiam aliquoties Politiano laudes tribuit, ut, verbi gratia, in Libro de conscribendis epistolis, ubi talia legas : « Si quis omissis Græcis patiatur quemque ullo in genere anteponi, M. Tullio, Caio Plinio, et Angelo Politiano primas detulerim. »

Immodicum certe in laudando Politiano Erasmum fuisse confiteri me non piget. Non enim fuit ex omni parte, sive ad res, sive ad verba attendas, absolutus et perpolitus. In eo primum humani aliquid passus est, quod non satis abstinuit in scriptis suis a verbis ejus modi, quæ fastum præ se ferre et ostentationem doctrinæ viderentur. Petrus Crinitus, qui longam cum Angelo familiaritatem habuit, nimium illi placuisse nos docet verba composita et sesquipedalia, ut *reciprocicornes* et *lanicutes arietes*, et similiter *bestiæ exungues et excornes*(3); namque felix et elegans

(1) Erasmi Epp., lib. XII, 7.
(2) In Adag. Chiliade II, Cent. 9.
(3) De Honesta disciplina, lib. II, cap. 13.

illi videbatur talis verborum compositio et conglutinatio, dum sæpissime istæ juncturæ duræ sunt, atque inelegantes, stultæ et perabsurdæ.

Itaque non immerito Bartholomæus Scala ferruminatorem illum vocavit. Quam appellationem animose repellit Politianus: « Et tu mihi superioribus diebus aperte dixisti, et abs te auditum multi retulerunt, non placere genus scribendi meum, propterea quod ascita nimium verba et remota consecter. Me quoque esse quemdam (sic enim soletis dicere) ferruminatorem. Vox enim hæc apud te significare jamdiu cœpit eum, qui verbis istis paulo minus vulgatis uteretur. Nam Hermolaum Barbarum quasi per jocum, vocare ferruminatorem soles, ut audio, quia verbum fortasse istud aliquoties usurpasset (1). » Fontius item ostenta verborum in eo culpat; qua de re queritur Angelus apud Phosphorum, Signinum pontificem : « Portenta igitur verborum, in Miscellaneis, quæ vocent isti, fateor ignoro; nisi si portenta credunt, quæ ipsi nova nunc primum vocabula vel audiunt, vel intelligunt. Nam ego nec verba ulla peperi, cinctutis non exaudita Cethegis, nec ullos habeo, nisi receptissimos auctores. Non tamen ex eorum sum numero, qui cessare latinam linguam ex parte patiuntur, dum quisque illa reformidat, quæ vulgo hactenus ignorata sunt. Si quidem eo res rediit, ut ne magnorum quidem auctorum lingua tuto loquamur, quo-

(1) Polit. Epp., lib. V, 1.

niam vulgo minus innotuerit. Itaque barbaris uti malumus, quam romanis vocibus, et cum siligineus domi sit panis, emendicato furfure magis vescimur. Quod autem mihi eloquentiam sic adimunt, ut doctrinam concedant, non modo equidem non succenseo, sed et gratias ago(1). »

Optime sane Politianus turbæ litteratulorum respondet nimis recondita verborum portenta reprehendentium. Sæpe enim hoc usu venit, et quidem cum magno doctorum vel risu, vel stomacho, ut illa ipsa in scriptis reprehendantur, quæ bonis emendatisque Ciceronis exemplaribus reperirentur. Politianus quidem abundat verbis, nimiasque prodigit eruditionis opes; nec satis vendibilis, quam ut nescias quid ei desit. Sed minime est triviale ejus scribendi genus, cultum quinimo, subactumque velut exercitatione multa, sparsum denique fruge bona veterum lectionum. In omnibus scriptis ejus inest quidam sine ullo fuco veritatis color. Quin etiam comprehensio et ambitus ille verborum apud eum minime contractus est et molliori filo contextus; sed in membra multa, quæ κῶλα Græci vocant, dispertit orationem libentius, genusque scribendi quoddam obtinet, ubi doctam Ciceronis abundantiam, Auli que Gellii eruditionem, felici mixtas temperamento ubique reperias.

Non totus ergo fuit in Ciceronis imitatione Politianus. Quod prudentius quidem, licet incultio-

(1) Polit. Epp., lib. III, 15.

ribus verbis, ut solet, animadvertit Paulus Jovius, in Elogio Andreæ Naugerii : « Politianus et Hermolaus Ciceronem fastidisse videbantur, utpote qui omnis eruditionis exundante copia instructi, aliquid in stilo proprium, quod peculiarem ex certa nota mentis effigiem referret, ex naturæ genio effinxisse nobilius putarint, quam servili imitatione enata ad novam frugem ingenia distorsisse (1). »

(1) Paulus Jovius, *Elogia doctorum Virorum*, cap. 78, pag. m. 180.

—

CAPUT XXV.

CONCLUSIO.

Politianum tibi, lector eruditissime, in oculis tandem constituimus, non utique falsis expressum lineamentis, aut fucatis adumbratum coloribus, sed qualem in ejus scriptis attentissima lectione pervolvendis cognovimus, eum tibi totum atque integrum fideliter reddidimus. Cujus dum vitam et in litteras merita minutissime describeremus, ea nobis potissimum cura fuit, ut omnes falsas criminationes quæcumque tum in hominem, tum in scriptorem illatæ essent, delueremus; ne scilicet tanti viri laus iu æternum famæ et opinionis aleæ traderetur. Utrum propositum finem attigerimus, tu ipse dijudicabis, optime lector. Quod si res nobis parum feliciter cesserit, boni tamen consulas; non enim defuit voluntas aut studium, sed onus tantum humeri nostri ferre non valuerunt.

Si autem a nobis quæsitum erit, cur inter tot viros ingenio præstantes et doctrina, Politianum potissime susceperimus, in cujus vita et operibus describendis tempus et operam collocaremus, delectus nostri rationem haud inviti reddemus. Politianus eo ipso tempore floruit, quo renascentibus in Etruria litteris mira conspiratione faverent Græcorum in Italiam adventus, et Medicæo-

rum munificentia. Præclaram ergo eximius ille scriptor hujus beatæ instaurationis diligentius observandæ nobis præbebat occasionem. Si quidem nulla ætate doctorum in omni genere fœtus uberior fuit. Italia enim, ingenuarum artium litterarumque elegantiorum parens et altrix, eo imprimis tempore incredibili poetarum et eruditorum copia redundavit. Politiano æquales aut amici fuerunt Franciscus Barbarus, Laurentius Valla, Franciscus Poggius, Baptista Guarinus, Hermolaus Barbarus, Petrus Candidus Decembrius, Domitius Calderinus, Jacobus Piccolominæus, Nicolaus Perottus, Franciscus Philelphus, Georgius Merula, Joannes Picus Mirandula, Pomponius Lætus, Marsilius Ficinus, Antonius Codrus Urceus, Matthæus Bossus, Jovianus Pontanus, Philippus Beroaldus, Petrus Crinitus, M. Antonius Coccius Sabellicus, Scipio Carteromachus, Nicolaus Leonicenus et sexcenti præterea alii, quorum nomina in libro nostro passim reperire est.

Hi omnes doctrinam veterem, jampridem tenebris obrutam, et deformi situ marcescentem, ad lucem et ad novam vitam unanimo conatu revocare tentabant. Milites dixisses, qui, unius ducis impulsu, per abrupta montium et paludum uligines sibi novam aperientes viam, ad barbariem e finibus suis detrudendam exturbandamque audacter aciem promoverent. Inter quos Politianus, non gregarius miles, sed omnium judicio, prætor, et, ut ita dicam, primus fuit inter primos. Omnes enim perspicacissimum ejus inge-

nium, et fervens jam inde a pueritia studium, non minus ad philosophiæ doctrinam, quam ad oratoriam atque poeticam capessendam, demirati sunt. In quibus omnibus tantum profecit, ut eo inclyta Florentia omnium liberalium artium usa fuerit præceptore. Miscellanea eum doctissimum fuisse testantur, epistolæ humanissimum, quæ ita et stilo, et sententiis, et concinnitate sunt absolutæ, ut plane appareat Minerva eas dictante fuisse exceptas. Oratio ejus abundat sonantibus verbis uberibusque sententiis, adeo ut, in triplici lingua, tum vel undanti solutæ vocis eloquio, vel immortali Musarum cantu, sine contro versia Politianus primas obtinuerit.

Duplex ergo fuit hujusce operis suscipiendi causa; pius scilicet affectus sollicitudinis, qua Politiani nomen turpissimorum labe vitiorum diutius injuste premi noluimus; et ipsius fama Angeli, quæ sæculi decimi quinti posteriorem partem complevit et nobilitavit. Sed dum in nostro libro vires ingenii periclitaremur, sæpius occurrebat cogitatio quædam, quam tibi nunc, optime lector, brevissimis exponemus verbis, arbitratum tuum exspectantes et judicium. Non pauci quidem fuere, qui, medii ævi annis decedentibus, sibi magnam in Etrusca poesi famam comparaverunt; Aligherius nempe, Petrarcha, Boccacius, Sannazarius, Politianus, aliique multi, quorum nomina memoriæ tuæ subministrare foret supervacaneum. Sed hi omnes patriam linguam, qua sibi immortale decus pepererant, fastidiverunt et aspernati sunt, dum e contrario Musas latinas summo ha-

buerunt honori. Ita Divinam Comœdiam latine scribere Aligherius in animo habuit; opera sua vulgari sermone composita postposuerunt, Boccacius quidem eruditissimis latinis elucubrationibus, Petrarcha autem Africæ; Arcadiam suam Sannazarius contemnebat; vidimusque Politianum quo in despectu etrusca quæcumque composuisset carmina habuerit.

Ita dum latinas Musas docti omnes atque poetæ excolebant, vulgaris eloquentia, omni honore destituta, priscam, ut ita dicam, lugebat dignitatem. Itaque cœpit in dies elanguescere; jamque interitura erat, ut quondam Provincialis lingua, et dulce Druenticarum Rhodanicarumque Musarum eloquium, cum subito novas resumpsit vires, novaque miracula prodidit. Romano scilicet lacte innutrita, per longuam infantiam, ad adolescentiam virilitatemque subito pervenerat, et, quasi remoto custode, e doctissimis Latinorum umbraculis, ad solem et pulverem nunc procedebat. Ita felix ille defectus majorem adduxit splendorem, opesque poeticæ, quasi fenori datæ fuissent, mirum in modum occulte creverunt, fructusque eximios protulerunt.

Eadem fere apud nos fuit linguæ et litterarum fortuna. Ineunte enim decimo sexto seculo, ita prævaluit Latiæ doctrinæ ardor et studium, ut nostri scriptores patrii sermonis usum pene dedidicerint. Quidam etiam, ut optime dixit ille qui Musis nostris justissimas imposuit leges, vulgaribus verbis græca et latina loquentes, adeo nostræ linguæ nativam indolem adulteraverunt, ut in vi-

tium inciderint dignum satira exagitari et omnium reprehensione. Magno tamen emolumento nobis fuerunt, cum docta priorum eruditio, tum posteriorum audax et nimis curiosa temeritas. Nostra enim lingua, saluberrimis antiquitatis fontibus irrigata fecundataque, radices altius in patriam terram demisit, majorem ramorum honorem explicavit, fructusque et umbras benignius nobis impertiit.

Ne doleamus ergo Politianum vulgarem poesin vilem et indecoram habuisse, suæque juventutis versus *nænias* dixisse *et licentiosas cantilenas*. Immortalia certe condidisset poemata, sublimiaque Tassi et Ariosti carmina adæquasset. Sed eo tempore quo floruit, optime de litteris meriti sunt eruditi homines et grammatici, doctas antiquitatis reliquias pie recolligentes, et, eversa Constantinopoli, ubique dispersos naufragio Græcorum libros, fluctibus et Barbaris eripientes. Quæ fuisset præterea recens inventæ typographiæ utilitas, si doctissimi homines in interpretandis et corrigendis veterum exemplaribus, mendorum et ineptiarum farragine dedecoratis, diligentissimam haud navavissent operam? Porro Politianus philologiæ omnis dux et princeps habendus est, cujus leges et exempla tradidit.

Supersunt nunc elicienda proposita quædam, quæ, inter doctos disceptata quondam et parum constantia, hic probare et stabilire tentavimus.

THESES.

I. Nomen Politiani gentilitium fuit de Ambroginis.

II. De Juliani ludis equestribus carmina lyrica scripsit Angelus, cum annum decimum quartum ageret.

III. In græca poesi bonus fuit, in latina et etrusca optimus et excellens.

IV. Politianus, etsi Marsilii Ficini discipulus fuit, Peripateticis est annumerandus.

V. Quæcumque e græco in latinum transtulit, fide simul et elegantia eminent.

VI. Politianus ætatis suæ fuit rhetor celeberrimus.

VII. In emendandis et interpretandis veterum libris philologorum dux et princeps.

VIII. Juris scientiam tenuit, et Pandectas Justinianeas illustravit.

IX. Impietatis et atheismi crimine injuste premitur Politiani nomen.

X. Etsi notissimam antiquitatem Politianus ha-

buit, arctis tamen imitationis vinculis numquam fuit constrictus.

XI. Oratio ejus ac stylus neminem ex veteribus peculiariter redolere videntur; Politianus enim, dum nemini fit propior, omnibus bonis fere similis evadit.

XII. Felix fuit consilium quo Politianus in Etruscæ linguæ fastidium venit; antiquas enim musas, deformi situ squalentes, pius revocavit et excoluit.

XIII. Defectum quidem eo seculo passa est Etrusca lingua, ob nimium apud doctos antiquitatis amorem; sed eo studio novas vires novamque venerem adepta est.

XIV. Politianus decimi quinti seculi scriptor fuit eminentissimus.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. septemb. ann. MDCCCXLV,

Facultatis Litterarum in Academia parisiensi decanus,

J. Vict. Le Clerc.

APPENDICES.

LECTORI.

Nostris de Politiani vita et operibus disquisitionibus quædam hic subjungimus, optime lector, quæ, utpote minus jam obvia, colligere et in instar voluminis redigere operæ erit pretium. Hæc sunt: Conjurationis Pactianæ commentariolum, quod anno 1478 primo impressum, et editioni Basileanæ anni 1553 additum, Adimarius a. 1770 Neapoli, et Pisis a. 1800 Antonius Peverata ediderunt; Politiani epistola ad Carolum Canalem, Orphei editionibus vulgo præmissa; epistola ad Fredericum de etruscis scriptoribus; quædam tandem cum Politiani, tum Clarices Ursiniæ ad Politianum epistolæ, quæ librum nostrum illustrare et ornare possunt.

APPENDIX I.

CONJURATIONIS PACTIANÆ COMMENTARIUM.

Pactianam conjurationem paucis describere instituo; nam id in primis memorabile facinus tempestate mea accidit, parumque abfuit quin Florentinam omnem Rempublicam penitus everteret.

Cum is igitur esset ejus urbis status, ut omnes boni a Laurentio et Juliano fratribus, reliquaque Medicum familia starent, Pactiorum una gens, ac Salviatorum nonnulli cœpere præsentibus rebus clam primo, mox etiam palam adversari. Invidebant enim Mediceæ familiæ; ejusque summam nostra in Republica auctoritatem, et privatum decus, quantum in eis esset, obterebant.

Erat Pactiorum familia civibus plebique juxta invisa: nam, præterquamquod avarissimi essent omnes, neque eorum contumax, atque insolens ingenium satis æquo animo tolerari poterat: ejus familiæ princeps Jacobus Pactius Equestris ordinis vir, diem noctemque aleæ vacabat; sicubi male jactus caderet, deos atque homines diris agebat: nonnumquam vero et alveolum tesserarium, aut quod aliud irato offerretur, temere in proximum quemque jaculabatur: sæpe et ad ipsum alveolum furiosi instar frontem allidebat. Ipse pallidus et exsanguis, caput jactare semper, et quod levitatis maximum foret argumentum, nunquam ore, nunquam oculis, nunquam manibus consistere. Duo in homine ingentia vitia, eaque, quod mirum esset, maxime inter se contraria eminebant: multa avaritia, multa ambitio. Domum paternam magnifice exstructam a funda-

mentis diruit; novam exædificare adgressus est; mercenarias ibi operas conducere solitus, neque tamen integrum solvere; pauperculosque homines misere sibi vix manuum mercede in diem victum parantes defraudabat; quare omnibus erat invisus. Non ipse, non ejus majores gratiosi populo umquam fuerant. Erat præterea sine legitima prole : quapropter et a suis necessariis, quippe qui hereditatem hominis captarent, præter cæteros colebatur. Incuria in homine maxima, maximaque rei familiaris negligentia: cumque hi essent hominis mores, facile rem facturus videbatur, quod ipsi ad maturandum facinus calcar maximum facesque subdidit. Nom enim sperabat homo insolens et ambitiosus decoctoris ignominiam non iniquissimo se laturum animo; studebat itaque uno incendio sese, suamque omnem patriam concremare.

Franciscus autem Salviatus homo repente fortunatus, quippe qui Pisanum haud multo antea Archiepiscopatum esset adeptus, vix ipse sese, suamque fortunam capiens, cœperat, supra quam dici potest, secundis rebus insolescere; nihilque non sibi de sese, suaque fortuna polliceri. Is Franciscus homo fuit (id quod dii atque homines sciunt) omnis divini, atque humani juris ignarus, et contemptor; omnibus flagitiis, et facinoribus coopertus; luxuria perditus, et lenociniis infamis. Aleæ et ipse studiosissimus : maximus præterea adulator : multæ levitatis, ac vanitatis : idem audax, promptus, callidus et impudens; quibus artibus (adeo fortunam nihil puduit) et Archiepiscopatum est adeptus, et cœlum ipsum votis captabat.

Hic una cum Francisco Pactio, quod propter insitam animo vanitatem ingentes spes sibi proposuerat, consilium Laurentii, ac Juliani necandi, occupandæque Reipublicæ multo antea Romæ dicitur agitasse. Tandem in suburbana Jacobi Pactii villa, quod Montughium

dicitur, una omnis factio in facinus conjuraut, Ejus conjurationis formulam Salviatus ipse præscribit. Franciscus ex Antonio Jacobi fratre erat natus, qui cum contumacis homo ingenii esset, magnos sibi spiritus, magnam arrogantiam sumpserat. Mirifice indignari, præferri sibi Medicam familiam : semper Laurentio, semper Juliano obtrectare, eosque passim traducere: nulli maledicto parcere, nullis contumeliis, nihil pensi habere, dum illis, quantum in se esset, injuriam faceret. Romæ plurimum ad nummariam ipsam Pactiorum mensam ætatem agere : nam Florentiæ nihili suam esse auctoritatem sentiebat, propter eam, quam sibi Medices germani pietate, et bonis moribus vindicarant. Erat autem et ipse (id quod Pactiis omnibus peculiare fuit) supra quam dici potest, ad excandescentiam proclivis. Statura fuit brevi, gracili corpusculo, colore sublivido, candida coma, cujus et in cultu nimium ferebatur occupatus. Is vero ejus corporis vultusque habitus, ii gestus erant, ut facile intelligeres hominis incredibilem insolentiam, quam tamen ipse primis maxime congressibus magnopere obtegere conabatur. Neque id satis ex sententia succedebat. Sanguinarius præterea homo erat, et qui, dum rem quamcumque ipse animo volveret, expeditum iret, nulloque honestatis, nullo religionis, nullo famæ, aut nominis respectu detineretur.

Jacobus dein Salviatus homo ad captandos hominum animos maxime factus, semper iis arridere modis omnibus, laute omnes accipere, scortis, et comessationibus intentus agere : mercaturæ tamen studiosus et gnarus ferebatur.

In his erat et Jacobus tertius, Poggii illius eloquentissimi viri filius. Hic et ob angustiam rei familiaris, æsque alienum, quod grande conflaverat, et ob ingenitam quandam sibi vanitatem, rerum novarum cupidus erat. Ejus præcipua in maledicendo virtus, in qua

vel patrem maledicentissimum referebat. Semper ille aut Principes insectari passim, aut in mores hominum sine ullo discrimine invehi, aut cujusque docti scripta lacessere; nemini parcere. Ipse ex multa historiarum memoria, magnaque loquendi copia mirifice superbus esse : eas omnibus circulis coronisque, vel ad satietatem audientium ingerere. Patrimonium, quod ipsi amplum ex hereditate paterna obvenerat, totum paucis annis profuderat : quare et egestate coactus Pactiis, Salviatoque se totum addixerat : erat enim id, quod semper fuerat, cuicumque emptori venalis.

Fuit in his et quartus Jacobus, Archiepiscopi frater, omnino vir obscurus, ac sordidus.

Bernardus præterea Bandinus, perditus homo, audax, impavidus, quem et ipsum dilapidata res familiaris in omne flagitium præcipitem ageret.

Septem ii fuere cives, qui facinus susciperent; additi his Joannes Baptista ex oppido Montesicco, ac Hieronymi Comitis familiaris, Antonius Volaterranus, quem vel patrium odium, vel facilis quædam hominis, levisque ad obsequendum natura in facinus sollicitabat. Stephanus præterea Sacerdos, Jacobi Pactii scriba, homo impudens, et male audiens omni crimine, qui et in Jacobi domo haud satis honeste versari ferebatur : ejus enim unicam filiam adulterio conceptam litteras docebat.

Conjurationis hujus et Renatum, et Guilielmum Pactios non ignaros fuisse compertum est. Guilielmus ipse Blancam Laurentii Medicis sororem in matrimonium duxerat, eque ea amplam jam sobolem susceperat; quare et duabus (quod dicitur) sellis sedere putabatur. Hic ejus, quem sæpe dicimus, Francisci major natu erat germanus. Renatus autem ex Petro Equestris ordinis viro, Jacobi, atque Antonii fratre genitus, Guilielmi et Francisci patruelis. Erat hic homo haud incal-

lidus, maximusque odii, atque injuriæ dissimulator; animi vero maximi, neque tamen audax, sed qui rem maturius quamcunque is animo agitasset, expeditum iret. Tenax idem, et pecuniæ avidus : quapropter et multitudini minime charus.

Cliens præterea Guilielmi Neapoleo Francesius non ultimas partes in eo negotio assumpserat.

Interfuere ei facinori et nonnulli obscuriores, partim ex Archiepiscopi, partim ex familia Pactiorum. Hos inter et Briglianus quidam homo extremæ conditionis, et Nannes Notarius Pisanus, vir sceleratus et factiosus.

Sed qui ex peregrinis primas partes susceperat, is erat, quem diximus, Joannes Baptista Hieronymi familiaris. Hic rem totum biennium jam ante agitatam, in quintum kalend. Majas anni a Christiana salute octavi et septuagesimi supra mille et quadringentos, inque ipsum Dominicum ante Ascensionem diem rejecerat. Erat is magni vir ingenii, multi consilii, et sagacis animi, ad obeundas res maxime dexter; neque vero in iis non sæpe exercitatus. Magnam in eo fidem Salviatus, magnam conjurati omnes habuerant. Res ipsa jam postulat uti conjurationis consilium explicemus.

Medicum familia cum plerisque in rebus splendida semper, magnificentissimaque est, tum vel maxime in claris hospitibus accipiendis. Nemo unquam vir clarus aut Florentiam aut Florentinum agrum petiit, in quem non illa domus hoc magnificentiæ genere usa sit. Cum igitur in suburbano illo Jacobi rure, ubi supra conjurationem factam ostendimus, Raphael forte Cardinalis, ex Hieronymi Comitis sorore natus, haud multo antea divertisset, hanc tanti facinoris ansam conjurati occupant. Nuntiant Cardinalis nomine geminis fratribus, uti se Fæsulis, quæ ipsorum suburbana villa est, accipiant. Eo Laurentius, atque egomet cum puero Petro Laurentii filio accedimus. Julianus, quod valetudine

impediretur, domi restitit; id, quod rem in ipsum, quem diximus, diem extraxit. Iterum familiarius homini nuntiant cupere Cardinalem et Florentiæ convivio accipi. Urbanæ domus ornamenta, vestem, aulæa, gemmas, argentum, pretiosam omnem supellectilem inspicere. Nullum optimi juvenes dolum suspicantur. Domum parant, ornamenta depromunt, vestem explicant, argentum, signa, toreumata in propatulo conlocant, producunt gemmas in promptuarium : magnificentissime convivium apparatur.

Ecce tibi ante tempus conjuratorum manus scitantur; ubi Laurentius? ubi Julianus? Dicunt, in templo Divæ Reparatæ esse ambos; eo contendunt. Cardinalis in suggestum Chori de more subducitur : dumque Eucharistiæ Mysteria celebrantur, Archiepiscopus cum Jacobo Poggio, et duobus Jacobis Salviatis, aliisque nonnullis comitibus in Curiam contendit, uti Dominos Florentinos arce deturbet, ipse Curiam occupet : reliqui in Templo ad facinus obeundum remanent. Destinatus ad Laurentii cædem Joannes Baptista, negotium detrectarat; Antonius Volaterranus, Stephanusque susceperant : reliqui in Julianum tendebant.

Ibi primum peracta Sacerdotis communicatione, signo dato, Bernardus Bandinus, Franciscus Pactius, aliique ex conjuratis, orbe facto, Julianum circumveniunt. Princeps Bandinus, ense per pectus adacto, juvenem transverberat. Hic moribundus aliquot passus fugitare : ille insequi. Juvenis, cum jam sanguis eum viresque defecissent, terræ concidit. Jacentem Franciscus, repetito sæpe ictu, pugione trajecit. Ita pium juvenem neci dedunt. Qui Julianum sequebatur famulus, terrore exanimatus in latebras se turpiter conjecerat.

Interim et Laurentium delecti sicarii invadunt; ac primo quidem Antonius Volaterranus sinistram ejus humero injicit, ictum in jugulum destinat. Ille imper-

territus humeralem amictum exuit, lævoque advolvit brachio; simul gladium vagina liberat, uno tantum ictu petitur : nam dum sese expedit, vulnus in collo accipit. Mox se homo acer et animosus stricto gladiolo ad sicarios vertere, circumspectare se caute, et tueri. Illi exterriti fugam capiunt. Neque vero segnis in eo tuendo Andreæ, et Laurentii Cavalcantis (quibus ille pedissequis utebatur) opera fuit. Cavalcantis brachium vulneratur. Andreas integer superat.

Videre erat tumultuantem populum, viros, mulierculas, sacerdotes, pueros fugitantes passim quo pedes vocarent. Omnia fremitu plena et gemitu : nihil exaudiri tamen expressæ vocis. Fuere et qui crederent Templum corruere.

Qui Julianum trucidarat Bernardus Bandinus, non contentus suis partibus, ad Laurentium contendit. Ille se commodum cum paucis in Sacrarium conjecerat. Bernardus obiter Franciscum Norium prudentem virum, et mercaturis Mediceæ familiæ præfectum, ense per stomachum adacto, uno vulnere perimit. Ejus cadaver spirans adhuc idem in Sacrarium, quo se Laurentius receperat, invectum est.

Tum ego, qui eodem me contuleram, aliique nonnulli, fores, quæ æneæ essent, occlusimus. Ita periculum, quod a Bandino ingrueret, propulsavimus. Dum fores servamus, trepidare intus alii, de Laurentii vulnere solliciti esse. Ibi Antonius Rodulphus Jacobi filius, honestus adolescens, Laurentii vulnus exsugere. Ipse nullam suæ salutis rationem ducere, sed rogitare continenter; ecquid Julianus valeat? Interdum vero et indignabundus minitari querique, quod a quibus minime æquum fuerat, sua vita peteretur. Continuo juvenum globus, qui Medicæ domui fidi essent, ad Sacrarii fores cum telis constipantur. Clamant unanimes amicos sese et necessarios. « Exeat, exeat Laurentius, priusquam

adversa factio robur capiat. » Nos trepidi intus ambigere, hostes an amici forent; rogitare tamen an incolumis Julianus. Ipsi ad ea nihil respondere. Tum Sismundus Stupha, egregius juvenis, et qui Laurentio jam inde a puero miro amore, mira pietate esset conjunctus, scalas conscendit, speculam, quæ in Templum despiceret, ubi et organa essent musica, festinans petit. Facinus continuo ex Juliani cadavere, quod prostratum viderat, intelligit. Qui præ foribus adstabant, videt esse amicos; jubet aperiri : illi frequentes Laurentium in armatorum globum accipiunt. Domum per dispendia, ne in Juliani cadaver incideret, perducunt.

Ego recta domum perrexi : Julianumque multis confectum vulneribus, multo cruore fœdatum miserabiliter jacentem offendi. Ibi titubans, et præ doloris magnitudine vix satis animi compos, a quibusdam amicis sublevatus, domumque sum deductus.

Omnia ibi armatorum plena erant, omnia faventium clamoribus personabant : strepitu et vocibus tectum omne resultabat. Videres pueros, senes, juvenes, sacros, et prophanos viros arma capere : domum Medicam quasi publicam omnium salutem defensare.

Interim Pisanus Præsul Cæsarem Petrucium Vexilliferum, quod ajunt, Justitiæ, remotis arbitris in colloquium vocat, eo consilio, ut hominem trucidet. Velle se, ait, nonnulla Pontificis referre nomine. Quidam ex Perusinis proscriptis, qui hominem facinoris conscii in Curiam comitabantur, in publici cubiculum Scribæ se conjiciunt, ubi locum idoneum teneant. Fores concludunt cubiculi, neque eas, ubi res postulat, aperire queunt, ita neque sibi, neque suis auxilio esse. At Cæsar ubi titubantem Salviatum contemplatur, dolum suspicatus, lictores ad arma concitat : Salviatus metu perturbatus, e cubiculo se proripit. Ille in Jacobum Poggii filium incidit, eumque, ut est homo ingentis animi,

capillo correptum humi deturbat, custodibusque servandum mandat; mox ad summam turrim cum Dominorum manu festinus evadit. Ibi quantum in se est, correpto e culina veru (nam id ei telum metus atque ira obtulerant) fores tuetur; suam atque publicam salutem magna animi præsentia acerrime defensat. Idem alii pro se quisque viriliter agunt.

Crebræ in Florentina Curia sunt januæ : eæ, a lictoribus occlusæ, capita conjuratorum separant. Ita illi in multos diducti rivulos impetum perdunt. Interea omnis Curia intus fremere, paucique ex civibus eo convenire.

Jacobus autem Pactius, ubi spem necandi Laurentii se fefellisse intellexit, haud ignarus quantum sceleris in se admisisset, utraque palma suam ipse faciem ceciderat. Mox dum se domum corriperet, priusquam de Templo egrederetur, ad terram præ angustia collapsus est. Tandem ubi rem in angusto esse vidit, fortunam periclitari deliberans, cum paucis ex necessariis recta in forum contendit : populum ad arma convocat. Nihil succedere illi; verum omnes hominem scelestum, et tum præ formidine vix sonum vocis, qui exaudiretur, erumpentem, contemptui habere, facinusque detestari. Is ubi nihil in populo auxilii videt, trepidare, animoque destitui.

Qui in summam Curiæ arcem receperant se, saxa ingentia telaque in Jacobum jaculantur : homo pavitans domum se refert. Eodem et Franciscus, acceptis in eo tumultu gravibus vulneribus, repente confugerat.

Interim Laurentiani Curiam recipiunt. Perusini, effracto ostio, trucidantur : tum et in reliquos sævitum. Jacobum Poggii e fenestris suspendunt; Cardinalem comprehensum magno præsidio in Curiam subducunt, ægreque hominem a populi impetu tuentur. Qui eum assectari consueverant, plerique a plebe occisi; omnia direpta, cadavera ipsa fœde lacerata. Jam ante Laurentii

fores caput humanum lanceæ præfixum, jam humeri partem attulerant. Nihil tamen undique magis exaudiri, quam populi voces : Pilas, Pilas; id enim Mediceæ familiæ insigne est, clamitantes.

At Jacobus Pactius desperatis rebus fuga sibi consulit : portam, quæ ad Crucis dicitur, cum armatorum manu petit; inde erumpit.

Interim ad Medicum ædes miro studio, miro favore populus confluere; proditores ad supplicium flagitare; nulli maledicto, nullis minis parcere, dum ad pœnam sceleratos rapi cogerent. Ibi Jacobi Pactii domus vix a direptione defensa, Franciscus nudus, ac saucius, ex ipsis patrui ædibus a Petro Corsino, qui magna clientum manu stipatus eo accurrerat, ad laqueum rapitur pene semivivus : non enim facile aut pronum erat furenti populo temperare. Mox et Pisanus Præsul ex ea, qua et Franciscus Pactius fenestra pendebat, supra ipsum exanimum corpus suspenditur. Cum dejiceretur (id quod mirum omnibus visum iri arbitror, nemini tamen ignotum eo tempore exstitit), sive id casus aliquis, seu rabies dederit, ipsum illud Francisci cadaver dentibus invadit, alteramque ejus mamillam vel cum laqueo suffocatus, apertis furialiter oculis, mordicus detinebat. Post hunc et duo Jacobi ex Salviatorum familia laqueo guttur franguntur. Memini me tum venire in forum (nam domi quieta jam res erat), ibique multa cadavera fœde lacerata passim videre projecta : multa in ea populi ludibria, multæ detestationes.

Erat enim Medicea domus multis causis popula grata. Tum Juliani cædem detestari omnes, indignum facinus clamitare. Juvenem egregium, delicias Florentinæ juventutis, per scelus, per dolum, ac proditionem, a quibus minime oportuit, interemptum; familiam impotentem, ac sacrilegam, Diis hominibusque infestam, tantum facinus perpetrasse. Stimulabat plebem et me-

moria recens ejus virtutis. Nam cum paucis ante annis equestre illud cataphractorum equitum certamen celebraretur, mira virtus Juliani exstiterat, palmamque et spolia domum reportaverat; quæ res magnopere vulgi animos conciliat. Ad hæc et facinoris indignitas accedebat. Neque enim quicquam tam scelestum dici aut excogitari poterat, quod hujus atrocitatem sceleris adæquaret. Fremebant omnes, Juvenem pium, innocentem, in templo, inter aras et sacra, crudeliter trucidatum, violatum hospitium, violata sacra, pollutum humano sanguine Templum; ipsum autem Laurentium, in quem unum Florentina omnis Respublica recumberet, ipsum illum Laurentium, in quo spes omnes opesque populi sitæ forent, ferro petitum, id vero indignissimum clamitabant.

Jam ex omnibus municipiis, ut quæque urbi proxima essent, magna vis armatorum in forum, in trivia, in Mediceam præcipue domum confluere; ostentare pro se quisque suum studium : cives catervatim cum liberis et clientibus polliceri suam operam, suas vires atque opes : omnes ex uno Laurentio, et publicam et privatam pendere ipsorum salutem, dictitare. Videre erat continuos aliquot dies undique in domum Laurentianam arma convehi, importari carnes et panes, quæque essent victui opportuna. Ipse Laurentius non vulnere, non metu, non dolore, quem ex fratris nece maximum ceperat, impediri quo minus rebus suis prospiceret : prehensare cives omnes; gratiam se singulis habere; ipsis omnibus suam dicere salutem referre acceptam; populo sese de ipsius salute anxio nonnunquam e fenestris ostentare : ibi acclamare omnis populus, manus ad cœlum tollere, gratulari ejus saluti, exsultare gaudio. Ipse rebus omnibus intentus agere, neque animo, neque consilio destitui.

Dum hæc aguntur, nuntiatum est Joannem Francis-

cum Tollentinatem Fori Cornelii Præfectum cum delecta equitum manu in nostrum agrum ex ipsis Fori Cornelii finibus irrupisse. Idem mox et Tiphernatem fecisse Laurentium, qua parte Senensium fines Florentinum discriminant agrum, multorum nuntiis litterisque admonemur. Tum utcumque a nostris pulsum domum suam recepisse se. Nocte atra, vigiliæ per urbem dispositæ; domus Laurentiana diligenter custodita; stationes armatorum in quadriviis, in foro, tota urbe. Postridie ejus diei Joannes Bentivolus Bononiensis Eques, suæque princeps reipublicæ, vir multis officiis familiæ Medicum conjunctissimus, in Mugellanum cum aliquot equitum turmis, multisque peditum cohortibus auxilio venerat. Jamque tota urbs peditibus oppleri cœpta. Sed veriti Octoviri, quorum princeps Dionysius Puccius, ne quid milites prædæ avidi tumultuarentur, delectis, qui custodiæ urbis præessent, reliquos, ut primum in urbem venerant, suam quemque domum, aut sicubi usu fore decernerent, regredi jubent.

Renatus interim Pactius, qui pridie ejus diei, quo facinus gestum est, in villam Mugellanam se receperat, ibique milites cogebat, cum duobus fratribus Joanne, Nicolao captus ducitur. Guilielmi, ac Francisci frater Joannes Pactius in horto quodam suæ domui contiguo deprehenditur. Qui Jacobum sequuti sunt, ab omnibus jam destitutum in Castaneo Vico comprehendunt. Qui primus hominem assequutus est, is fuit Alexander quidam agricola annis plurimum xx natus; ipse homini manum injicit. At Jacobus septem prolatis aureis obsecrare rusticum incipit, uti se neci dedat; neque vero id homini persuadet. Ut vero magis hoc magisque precibus contendit, a fratre Alexandri scipione verberatur. Tum intellexit homo pavitans, verum esse quod dicitur : « Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. » Ibi Florentiam cum præsidio Octovirum, ne a plebe

laniaretur, in Curiam prolatus, expressa nullo tormento totius facinoris confessione, paucis post horis laqueo pœuas luit. Hic homo jam letho vicinus, haudquaqum sui illius rabidi furiosique ingenii obliviscitur; manes suos adverso Dæmoni dedere se clamat. Post eum et de Renato supplicium sumptum. Reliqui fratres in vincula conjecti : eorum minimus natu Galeottus, impubes adhuc, muliebri stola amictus, fugam trepidus moliebatur : ibi agnitus in eundem carcerem conjicitur : eodemque haud multo post et Andream Pactium Renati fratrem ex fuga retractum obtrudunt.

Bandinus fugitans in Tiphernatem incidit, a quo in aciem receptus Senas pervasit. Neapoleo a Petro Vespuccio adjutus, fuga sibi salutem petiit. Aliquot post dies et de Joanne Baptista supplicium sumptum.

Qui Laurentium percusserant Antonius Volaterranus, et Stephanus, in Florentina Abbatia aliquot dies latuere. Id ubi rescitum, continuo gregatim eo populus convolat; vixque ab ipsis Monachis, quod religione prohibiti non eos indicassent, manum abstinent, abreptos sicarios fœde lacerant : ibi demum mutilato naso, truncis auribus, multis colaphis contusi, ad laqueum post confessionem sceleris rapiuntur. Præmia deinde publice his decreta, ac per præconem denuntiata, qui Bandinum, et Neapoleonem aut occiderent, aut viventes agerent captivos. Guilielmus Pactius, qui affinitate fretus in Laurentianam domum confugerat, una cum liberis ejus vigesimum trans quintum ab urbe lapidem proscribitur. Multæ præterea insequutæ cædes, atque omnes conscii partim cæsi, partim in vinculis habiti, aut proscripti sunt.

Romæ ubi nuntiatum est, maximus dolor, mira omnium de Laurentii incolumitate exsultatio.

Funus Juliano magnifice ductum, et justa manibus in Divi Laurentii Templo persoluta. Pleraque juventus

vestem mutavit. Ipse undeviginti vulneribus perfossus erat. Annos vixerat quinque et viginti.

Ubi rescitum est a Petro Vespuccio Neapoleonem adjutum, continuo et ipsum capiunt. Hic homo prodigus jam inde a pueritia bona paterna dilapidaverat : quamobrem et hereditatis jure parentis testamento mox cecidit. Domi erat illi summa inopia, foris grande æs alienum : quare et præsenti republica offendebatur, et rerum novarum cupiens erat. Atque is, ut primum Juliani cædes patrata est, cœpit, ut erant hominis subita ac repentina consilia, Pactiorum facinus verbis attollere : mox, ut omnem populum, omnes cives videt a Laurentio stare, confestim se ad diripiendam Pactiorum domum corripuit; nactusque prædam inhiantes milites parum abfuit (nisi Petrus Corsinus egregius juvenis ejus ferociæ occurrisset) quin civitatem omnem, bona fortunasque civium in summum periculum adduceret; adeo homo præceps ac furiosus populum, militesque omnes ad prædam animaverat. Demum et ipse in carcerem conjectus, et Marcus filius ad quintum ab urbe lapidem proscriptus.

Paucis post diebus cum juges pluviæ essent insequutæ, repente ex omnibus agris magna vis hominum in urbem confluit. Nefas esse clamitant Jacobi Pactii corpus in sacro conditum. Ideo tandiu perpluisse, quod hominem nefarium, et qui ne in morte quidem religionis ullam, aut Dei rationem habuerit, contra jus, fasque in Templo condiderint. Officere id (quæ vetus est rusticorum superstitio) lactentibus adhuc frumentis : idem et plebs omnis, ut in tali re assolet, passim dictitare. Mox vero ad ipsum sepulcri locum conveniunt frequentes, effossumque hominis cadaver in pomerio defodiunt : statimque fœdatus nubibus aer (adeo plebis opinioni fortuna favebat) solis fulgorem cœpit ostendere.

Postridie ejus diei, id quod monstri simile visum est, puerorum ingens multitudo, velut quibusdam furiarum arcanis facibus accensa, conditum rursus cadaver effodiunt; prohibentem nescio quem, parum abfuit, quin lapidibus necarent. Eum, quo fuerat suffocatus laqueo apprehendunt, multis conviciis ac ludibriis per omnes urbis vivos raptant. Alii enim per ridiculum præeuntes, decedere viæ obvios jubere, quod se Equitem insignem dicerent adducere; alii baculis, stimulisque increpitantes monere hominem, ne præstolantibus se in foro civibus esset in mora: mox ad suas adductum ædes, januam capite pulsare subigunt, simul exclamant, ecquis intus familiarium sit, ecquis redeuntem magno comitatu domum excipiat. In forum venire prohibiti, ad Arni flumen contendunt, eoque cadaver abjiciunt. Id cum supernataret, magna vis rusticorum convicia fundentes subsequebantur. Unde et quidam non irridicule dixisse fertur: fuisse illi omnia ex sententia successura, si quem exstinctus habuit populi comitatum, et vivens habuisset.

Multa præterea jocularia carmina in Jacobi Pactii contumeliam, inque omnium conjuratorum detestationem passim per urbem a pueris cantitata; multi undique famosi libelli in eosdem conscripti.

Bona eorum in publicum adducta; factumque Senatusconsultum, ne quis post eam diem ejus nomen familiæ usurparet; ne qua usquam Pactiorum insignia remanerent; neve quis nostra in Republica affinitatem cum ipsis contraheret: qui contra faceret, eum contra Rempublicam, contraque Senatus auctoritatem facere.

Ex hac tanta rerum commutatione, sæpe ego de humanæ fortunæ instabilitate sum admonitus, maximeque admiratus incredibilem omnium de Juliani interitu dolorem. Cujus quæ forma corporis, quive habitus, qui mores fuerint, paucis absolvam. Statura fuit procera,

quadrato corpore, magno, et prominenti pectore; teretibus ac musculosis brachiis, validis articulis, compressa alvo, amplis femoribus, suris aliquando plenioribus, vegetis nigrisque oculis, acri visu, subnigro colore, multa coma, capillo nigro, et promisso, atque in occiput a fronte rejecto : equitandi, juculandique gnarus : saltu et palæstra excellens : venatu mirum in modum delectari solitus : vigiliæ atque inediæ juxta patiens : potionis adeo exiguæ, ut ea aliquando vel integrum diem sponte abstinuerit. Magni erat animi; maximæ constantiæ; religionis, et bonorum morum cultor; picturam maxime amplectebatur et musicam, atque omne munditiarum genus; ingenio erat ad poesin non inepto. Scripsit nonnulla Etrusca carmina mire gravia, et sententiarum plena : amatoria carmina libens lectitabat. Facundus erat et prudens, minime tamen promptus. Idem et urbanitatum mirus amator, et ipse non inurbanus : mendaces magnopere oderat, et injuriarum memores. In cultu corporis mediocris, mire vero elegans, et lautus. Gravis decorusque erat ejus incessus, atque omnino dignitatis plenus. Obsequii erat multi, multæ humanitatis. Magnæ in fratrem pietatis atque observantiæ; magni roboris, et virtutis. Hæc illa, atque alia charum populo, charum suis, dum vixit, reddebant. Hæc eadem nobis omnibus luctuosam egregii juvenis, atque acerbissimam memoriam relinquunt. Deum tamen optimum, maximumque ne prohibeat precamur:

« Hunc saltem everso Juvenem succurrere sæclo. »

APPENDIX II.

ANGELO POLIZIANO A MESSER CARLO CANALE, SALUTE.

Solevano i Lacedemoni, umanissimo Messer Carlo, quando alcun loro figliuolo nasceva o di qualche membro impedito, o delle forze debile, quello esponere subitamente, nè permettere che in vita fusse riservato, giudicando tale stirpe indegna di Lacedemonia. Così desideravo ancor io, che la Fabula di Orfeo, la quale a requisizione del nostro reverendissimo Cardinale Mantuano, in tempo di duo giorni, intra continui tumulti, in stilo vulgare perchè dagli spettatori fusse meglio intesa, avevo composta, fusse disubito, non altrimenti che esso Orfeo, lacerata; cognoscendo, questa mia figliuola essere di qualità da fare piuttosto al suo padre vergogna, che onore; e piuttosto atta a dargli malinconia, che allegrezza. Ma vedendo che voi ed alcuni altri troppo di me amanti, contro alla mia volontà in vita la ritenete; conviene ancora a me avere più rispetto allo amore paterno e alla volontà vostra, che al mio ragionevole instituto. Avete però una giusta escusazione della volonta vostra; perchè essendo così nata sotto lo auspicio di sì clemente Signore, merita d'essere esenta dalla commune legge. Viva adunque, poichè a voi così piace; ma ben vi protesto che tale pietà è una espressa crudeltà: e di questo mio giudizio desidero ne sia questa epistola testimonio. E voi che sapete la necessità della mia obedienzia, e l'angustia del tempo, vi priego che colla vostra autorità resistiate a qualunque volesse la imperfezione di tale figliuola al padre attribuire. *Vale.*

APPENDIX III.

EPISTOLA AL SIGNOR FEDERIGO.

Ripensando assai volte meco medesimo, illustrissimo Signore mio Federigo, quale intra molte ed infinite laude degli antichi tempi fussi la più eccellente; una percerto sopra tutte le altre esser gloriosissima e quasi singulare ò giudicato, che nessuna illustre e virtuosa opra nè di mano nè d'ingegno si puote immaginare, alla quale in quella prima età non fussino e in pubblico e in privato grandissimi premi e nobilissimi ornamenti apparechiati. Imperocchè, siccome dal mare Oceano tutti i fiumi e fonti si dice aver principio; così da questa una egregia consuetudine tutti i famosi fatti e le maravigliose opre degli antichi uomini s'intende esser derivati. L'onore è veramente quello che porge a ciascuna arte nutrimento; nè da altra cosa, quanto dalla gloria, sono gli animi dei mortali alle preclare opre infiammati. A questo fine adunque a Roma i magnifici trionfi, in Grecia i famosi giuochi del monte Olimpo, appresso ad ambedue il poetico e oratorio certame con tanto studio fu celebrato. Per questo solo il carro ed arco trionfale, marmorei trofei, ornatissimi teatri, le statue, le palme, le corone, le funebri laudazioni; per questo solo infiniti altri mirabilissimi ornamenti furono ordinati: nè d'altronde veramente ebbono origine i leggiadri ed altri fatti e col senno e colla spada, e tante mirabili eccellenzie de' valorosi antichi, in li quali senza alcun dubbio, come ben dice il nostro toscan poeta, non saran mai

. . . . Senza fama,
Se l' nniverso pria non si dissolve.

Erano questi mirabili e veramente divini uomini; come di vera immortal laude sommamente desiderosi, così d'un focoso amore inverso coloro accesi, i quali potessino i valorosi e chiari fatti delli uomini eccellenti colla virtù del poetico stile rendere immortali: del qual gloriosissimo disio infiammato il Magno Alessandro, quando nel Sigeo al nobilissimo sepolcro del famoso Achille fu pervenuto, mandò fuor sospirando quella sempre memorabile, regia, veramente di sè digna voce:

Oh fortunato, che sì chiara tromba
Trovasti, e chi di te sì alto scrisse!

E senza dubbio fortunato, imperocchè se'l divin poeta Omero non fusse stato, una medesima sepultura il corpo e l'alma d'Achille avrebbe ricoperto: nè questo poeta ancora, sopra tutti gli altri eccellentissimo, sarebbe in tanto onore e fama salito, se da un clarissimo Ateniese non fussi stato di terra in alto sullevato, anzi quasi da morte a sì lunga vita restituito. Imperochè essendo la sacra opera di questo celebratissimo poeta, dopo la sua morte per molti e varj luoghi della Grecia dissipata e quasi dimembrata; Pisistrato ateniese principe, uomo per molte virtù e d'animo e di corpore prestantissimo, preposti amplissimi premj a chi alcuno de'versi omerici gli apportasse, con somma diligenza ed esamine tutto il corpo restituì del santissimo poema. Così lui a sè stesso immortal gloria e clarissimo splendore acquistonne. Per la qual cosa nessuno altro titolo sotto la sua statua fu intagliato, sennon questo uno, che dello insieme ridurre il glorioso onerico poema lui primo fussi stato autore. Oh veramente divini uomini al mondo nati! Conosceva questo egregio principe, gli altri suoi virtuosi fatti, comecchè molti e mirabili fussino, tutti nientedimeno a questa una laude essere inferiori; per la quale ed a sè e ad altri eterna vita partorissi. Cotali erano adunque que-

gli primi uomini, dei quali li virtuosi fatti non sola a' nostri secoli imitabili non sono, ma appena credibili. Imperocchè essendo già intutto i premj de' virtuosi fatti mancati, insieme con essi ogni benigno lume di virtute è spento; e non facendo gli uomini alcuna cosa laudabile, ancora questi sacri laudatori ánno del tutto disprezzati. La qual cosa se ne' prossimi superiori secoli stata non fussi, non sarebbe dipoi la dolorosa perdita di tanti e si mirabili greci e latini scrittori con nostro grandissimo danno intervenuta. Erano similmente in questo fortunoso naufragio molti venerabili poeti, li quali primi il deserto campo della toscana lingua cominciarono a coltivare in guisa tale, che in questi nostri secoli tutta di fioretti e d'erbe e rivestita. Ma la tua benigna mano, illustrissimo Federigo, quale a questi porgere ti se' degnato, dopo molte loro e lunghe fatiche in porto finalmente gli á condotti. Imperocchè, essendo nel passato anno nell' antica Pisana città venisti in ragionar di quelli che nella toscana lingua poeticamente avessino scritto, non mi tenne punto la tua Signoria il tuo laudabile desiderio nascoso: ciò era che per mia opra tutti questi scrittori si fussino insieme in un medesimo volume raccolti. Per la qual cosa, essendo io come in tutte le altre cose, così ancora in questo desideroso alla tua onestissima volontà, non senza grandissima fatica fatti ritrovare gli antichi esemplari, e di quelli alcune cose men rozze eleggendo, tutti in questo presente volume ò raccolti; il quale mando alla tua Signoria, desideroso assai ch'essa la mia opra, qual ch'ella si sia, gradisca, e la riceva siccome un ricordo e pegno del mio amore inverso lei singulare. Nè siá però nessuno che questa toscana lingua come poco ornata e copiosa disprezzi. Imperocchè se bene e giustamente le sue ricchezze ed ornamenti saranno estimati, non povera questa lingua, non rozza, ma abbondante e politissima sarà riputata.

Nessuna cosa gentile, florida, leggiadra, ornata; nessuna acuta, distritta, ingegnosa, sottile; nessuna ampla e copiosa; nessuna altra magnifica, sonora; nessuna altra finalmente ardente, animosa, concitata, si puote immaginare, della quale non pure in quegli due primi Dante e Petrarca, ma in questi altri ancora, i quali tu, Signore, ái suscitati, i chiarissimi esempli non resplendano. Fu l'uso della rima, secondochè in una latina epistola scrive il Petrarca, ancora appresso gli antichi Romani assai celebrato. Il quale per molto tempo intermesso, cominciò poi nella Sicilia non molti secoli avanti a rifiorire; e di quì per la Francia sparto, finalmente in Italia, quasi in un suo ostello, è pervenuto. Il primo adunque che dei nostri a ritrarne la vaga immagine del novello stile pose la mano, fu l'Aretino Guittone; ed in quella medesima era il famoso Bolognese Guido Guizinello: l'uno e l'altro di filosofia ornatissimi, gravi e sentenziosi; ma quel primo alquanto ravido e severo, nè d'alcuno dolce lume d'eloquenza acceso. L'altro tanto di lui più lucido, più soave e più ornato, Dante padre appellavalo suo, e degli altri suoi migliori

. . . . Che mai
Rime d' amore usar dolci e leggiadre.

Costui certamente fu il primo da cui la bella forma del nostro idioma fu dolcemente colorita, quale appena da quel rozzo Aretino era stata adombrata. Riluce dietro a costoro il dilicato Guido Cavalcante Fiorentino, sottilissimo dialettico, e filosofo del suo secolo prestantissimo. Costui percerto, come del corpo fu bello e leggiadro, così negli suoi scritti, non so che più che gli altri, bello, gentile e peregrino rassembra, e nelle invenzioni acutissimo, magnifico, ammirabile, gravissimo nelle sentenze, copioso e rilevato nell' ordine, composto, saggio ed avveduto; li quali tutte sue beate virtù

d'un vago, dolce e peregrino stile, come di preziosa veste, sono adorne. Il quale se in più spazioso campo si fusse esercitato, arebbe senza dubbio i primi onori occupati. Ma sopra tutte le altre sue opre è mirabilissima una canzone nella quale sottilmente questo grazioso poeta, d'amore ogni qualità, virtù, accidente descrisse: onde nella sua età di tanto pregio fu giudicata, che da tre suoi contemporanei prestantissimi filosofi, fra' quali era il romano Egidio, fu dottissimamente comentata. Nè si deve il lucchese Bonagiunta, ed il Notaro da Lentino con silenzio trapassare; l'uno e l'altro grave e sentenzioso, ma in modo d'ogni fior di leggiadria spogliati, che contenti dovrebbero restare se fra questa bella manata di sì onorati uomini li riceviamo. E costoro e Piero delle Vigne nella età di Guittone furono celebrati; il quale ancora esso non è senza gravità o dottrina alcuna, avvengachè piccole opre compose: costui è quello che, come Dante dice, tenne

. . . . Ambo le chiavi
Del cor di Federigo,

e che le volse

Serrando e disserando sì soavi.

Risplendono dopo costoro quelli dui mirabili soli che questa lingua ánno illuminata: Dante, e non molto dietro ad esso Francesco Petrarça; della laude dei quali, siccome di Cartagine dice Sallustio, meglio giudico essere tacere, che poco dirne. Il Bolognese Onesto e li Siciliani che già primi furono, come di questi dui sono più antichi, così della loro lima arebbono mestiero; avvengachè nè ingegno nè volontà ad alcuno di loro si vide esser mancata. Assai bene alla sua nominanza risponde Cino da Pistoia, tutto delicato, e veramente

amoroso; il quale primo, al mio parere, cominciò l'antico rozzore intutto a schifare, dal quale nè il divino Dante, peraltro mirabilissimo, si è potuto per ogni parte schermire. Segue costoro dipoi più longa gregge di novelli scrittori, i quali tutti di lungo intervallo si sono da quella bella coppia allontanati. Questi tutti, Signore, con essi alcuni dell' età nostra, vengono a renderti immortal grazie, che della loro vita, della loro fama e luce sie stato autore molto di maggior gloria degno, che quello antico Ateniese di cui avanti è fatta menzione; perchè lui ad uno, Tu a tutti questi ái renduto la vita. Abbiamo ancora nello estremo del libro, perchè così ne pareva ti piacessi, aggiunti alcuni de' nostri sonetti e canzone; acciochè quelli leggendo, si rinnovelli nella tua mente la mia fede ed amor singular verso la la tua Signoria: li quali se degni non sono fra sì maravigliévoli scritti de' vecchi poeti essere annumerati, almeno per fare agli altri paragone, e per fare quelli la loro comparazione più ornati parere, non sarà forse inutile stato averli con essi collegati. Riceverà adunque la tua illustrissima Signoria e questi e me, non solamente nella casa, ma nel petto ed animo suo; siccome ancora quella nel core ed animo nostro giocondamente del continuo alberga. *Vale.*

APPENDIX IV.

LAURENTIO DE MEDICIS FLORENTIÆ, ANGELUS POLITIANUS.

Magnifice domine, etc. Mona Clarice sta bene, et così tutta questa brigata. Quì non s' era ancora udito nulla del romore occorso del quale ne ha per questo medesimo apportatore dato adviso ad me il franco, che si ha levata ogni sospitione, perchè ci siamo assai fondati in sulla sua lettera che mona Clarice dubitava non fussi la cosa più grave, et che voi de industria l'allegressi. In somma è restata di buona voglia et acquievit. A noi non manca nulla; et solamente habbiamo passione delle molestie vostre, che sono pure troppe. Iddio ci adjuterà. Spes enim in vivis est, desperatio mortui.

Vorrebbe mona Clarice, che quando costà non havessi troppo bisogno di Giovanni Tornabuoni, lo rimandassi in quà, che gli pare esser sola senza epso, et per ogni rispetto gli pare sia a proposito la stanza sua quì.

Io attendo a Piero, e sollecitolo a scrivere: et in pochi dì credo vi scriverà, che voi vi maraviglierete, che habbiamo quà un maestro che in quindici dì insegna a scrivere, et fa maraviglie in questo mestiero. E fanciulli s'attendono a vezzeggiare più che l'usato, et sono tutti rifatti. Iddio ajuti loro e voi. Piero non si spina mai da me, o io da lui. Vorrei esservi a proposito in maggiori cose, ma poichè tocca questo, lo farò volentieri. Rogo tamen, ut aliquid aut litterarum aut nuntii huc perlatum iri cures, desque operam, ne quidquid est in me

auctoritatis, patiaris exolescere, quo et puerum facilius in officio teneam, et meo munere ut par est defungar. Sed hæc si commodum; sin minus, quod sors feret, feremus æquo animo. State di buona voglia, et fate buono animo, che e grandi uomini si fanno nelle adversità. Durate, et vosmet rebus servate secundis. Raccomandomivi. Pistorii, die 26 augusti 1478.

Magnifice mi patrone, desidero assai, che la magnificentia vostra non si sia turbata d'una mia li scripsi stamani dettatami dalla passione, la quale ho non d'altro, che di non potere havere patientia. Spero in bonam partem acceperis, rebusque nostris prospectum curabis.

Mona Clarice vi manda tre fagiani et una starna. Dice ne habbiate cura come ne venissimo da nemici: perchè non sà chi, o quale sia questo apportatore, il quale è il padre del ragazzo vostro, che ruppe la gamba, cavallaro di Pistoja.

Per costui vi mando e consigli di messer Bartolommeo Sozzini. Holli sollecitati a ogni hora, et trovato li scriptori; et elli ancora vi ha usata diligentia somma. Ma non si è potuto far più presto.

Piero stà bene et io li ho grandissima cura. Così tutti li altri sono sani. Governiamoci il meglio possamo, ma a me toccano tutte le botte, pure te propter Libycæ, etc.

Io aspetto con desiderio novelle, che la moria sia restata per il sospetto ho di voi, et per tornare a servire voi, che con voi volevo et credevomi stare. Ma poichè voi, o più tosto la mia mala sorte mi ha assignato questo grado appresso di vostra magnificenza, lo sopporterò, quamvis durum nec levius fit patientia. Raccomandomi a V. M. Pistorii, die 24 augusti 1478.

Magnifice mi domine, tutta questa vostra brigata sta bene: Piero studia così modice, et ogni di andiamo

a piacere per la terra : visitiamo questi horti, che ne è piena la città, et qualche volta la libreria di maestro Zambino, che ci ho trovate parecchie buone cosette et in greco, et in latino. Giovanni se ne va tutto il dì in sul cavallino, et tirasi drieto tutto questo popolo. Mona Clarice si porta molto bene: piglia però poco piacere, se non delle novelle buone si sentono di costà. Poco esce di casa. Non ci manca in effetto nulla. Non si accepta presenti, da insalate, fichi et qualche fiasco di vino, o qualche beccafico, o simili cose infuori. Questi ciptadini ci porterebbero acqua cogli orecchi; et da Andrea Panciatichi siamo trattati tanto onorevolmente, che tutti ci pare esserli obbligati. In effetto a ogni cosa di quà s' a l' occhio. Et già si comincia a far buona guardia alle porte. Attendete ancora voi a darvi buon tempo, et vincere; et quando si può, venite a vedere questa vestra brigata, che vi aspetta a mangiunte. Raccomandomi à V. M. Pistorii, 31 augusti 1478.

Magnifice domine mi, mona Clarice s' è sentita da hiersera in quà un poco chioccia: scrivelei a mona Lucretia, che dubita di non si sconciare, o di non havere il male, che ebbe la donna di Giovanni Tornabuoni. Cominciò dopo una a giacere in sul lettuccio. Stamanni si levò del letto tardi. Desinò bene, et doppo desinare se tornata a giacere. Quì sono con lei queste donne de Panciatichi, che è molto intendente. Dicemi Andrea, che ella gli ha decto, che mona Clarice, non è senza pericolo di sconciarsi. M' è paruto d' avvisarvi di tutto. Dicono però tutte queste donne, che credono non harà male. Lei a vederla non mostra altro segno di malata, nisi quod cubat, et quod paullo commotior est quam consuevit.

Piero andò incontro stamattina a questo signore, et fu il primo. Disse poche parole nella sentenza gli scrivete, et molto bene. El signore solo mise innanzi, et

così entrò in Pistoja. Mona Clarice gli presentò un bel mazzo di starne : stasera andremo a visitarlo alle 22 hore, che siamo hora a hore 19. Fe compagnia a Piero Giovanni Tornabuoni, et lui riprese le parole di Piero. Mostra questo illust. sig. secondo dicone questi sui, di venire con una voglia troppo grande di farsi honore, et di satisfare a cotesta excelsa signoria et maxime alla V. M.

Clarice vi manda non so quante starne gli sono state donate, poichè presentò questo signore. Io starò intento a quanto seguirà; et in quello saprò, farò mio debito, e di tutto avviserò V. M. la qualle Iddio conservi. Raccomandomivi. Pistorii, die 7 septembris 1478.

APPENDIX V.

ANGELUS POLITIANUS MAGNIFICÆ DOMINÆ LUCRETIÆ DE MEDICIS, FLORENTIÆ.

Magnifica domina mea; le novelle che noi vi possiamo scrivere di quì, sono queste. Che noi habbiamo tanta acqua, et sì continua, che non possiamo uscir di casa, et habbiamo mutata la caccia nel giuoco di palla, perchè i fanciulli non lascino l'exercitio. Giuchiamo comunemente o la scodella o il savole o la carne, cioè che chi perde non ne mangi: e spesso spesso quando questi miei scolari perdono, fanno un cenno a ser humido. Altro non cè che scrivervi per ora di nostre novelle. Io mi sto in casa al fuoco in zoccoli et in palandrano, che vi parrei la malinconia, se voi mi vedessi, ma forse mi pajo io in ogni modo, et non fo, nè veggo, nè sento cosa che mi dilecti, immodo mi sono accorato per questi nostri casi. Et dorendo et vegliando sempre ho nel capo questa albagia. Eravamo due dì fa tutti in se l'ale, perchè intendemo non esse costà più moria : hora tutti siamo rimasti basosi, intendendo, che pur va pizzicando qualche cosa. Quando siamo costà, habbiamo pur qualche refrigerio, quando non fussi mai altro se non vedere ritornare Lorenzo a casa. Qui tuttavia dubitiamo, et d'ogni cosa : et quanto a me vi prometto, che io affogo nell' accidia, in tanta solitudine mi truovo. Dico solitudine, perchè monsignore si rinchiude in camera accompagnato solo da pensieri, et sempre lo truovo addolorato, et inpensierito per modo, che mi rinfresca piu la malinconia a essere con lui. Ser Alberto del Malerba tutto

di biascia ufficio con questi fanciulli : rimangomi solo, et quando sono restucco dello studio, mi do a razolare tra morie et guerre, et dolore del passato et paura dell' advenire; nè ho con chi crivellare queste mie fantasie. Non truovo qui la mia mona Lucretia in camera, colla quale io possi sfogarmi, et muojo di tedio : quanto allegerimento ci habbiamo, sono le lettere di costà, cioè quelle del Malerba, che pur ci ha scripte a questi dì delle novelle; et sovi dire, che le scrive tutte buone per l' ordinario. Et noi per un pocco ogni cosa ci crediamo, tanto habbiamo voglia che sieno vere. Ma si convertono pur poi in bozzachini queste susine. Nientedimeno quanto posso io per me, mi vo armando di buona speranza, et a ogni cosa m' appicco per non irne così al primo tratto in fondo.

Altro non ho che scrivervi. Raccomandomi a V. M. Ex Cafagiolo die 18 decembris 1478.

APPENDIX VI.

LAURENTIO MEDICI FLORENTIÆ, CLARICE URSINI.

Magnifice conjux, etc., intendo costì la moria far danno più che l' usato. Quanto possono e prieghi di vostra donna et figliuoli vi exhorto a dovervi guardare, et anche se possete con riguardo di qui venire a vedere questo feste, ci sarà consolatione. El tutto rimetto in vostra prudentia. Harei caro non essere in favola del francho, come fu Luigi Pulci, nè che messer Agnolo possa dire che starà in casa vostra a mio dispesto; et anche l' habbiate facto mettere in camera vostra a Fiesole. Sapete vi dissi, che se volevi che stessi, ero contentissima, e benchè habbia patito, che mi dica mille villanie, se e di vostro consentimento, sono patiente, ma non che lo possa credere. Credo bene che ser Niccolò, per voler fare pace con lui, me habbia tanto sollecitata. E fanciulli sono tutti sani, et hanno voglia di vedervi, et maxime io, che non ho altro struggimento che questo, habbiavi a star costì a questi tempi. Sempre a voi mi raccomando. In Cafaggiolo 28 maii 1479.

APPENDIX VII.

MAGNIFICO VIRO LAURENTIO MEDICI PATRONO OPTIMO.

Magnifice patrone mi, voi mi havete più volte dato animo et ricordato che io stessi intento a qualche cosa honorevole, che io per me havendo horamai da vivere colla mia brigata, et non cognoscendo richiedersi, nè alla qualità mia nè a meriti, più che quello mi havete dato, non haverli avuto animo di molestarvi ulterius; ma voi credo havete pensato quello si convengha alla grandezza dell' animo et fortuna vostra, che non suole essere contento, ne debba dell' ordinario, etc. Intendo di buon luogho, chel figliolo di Giovanni d'Orsino sta molto male, quello che ha la pieve di Laterina. Se V. M. non vi facessi su disegno per altri, me gli ricordo. La pieve è comoda, anzi vicina a Gruspina, et a me sarebbe un vescovado, non saria così a un altro. Questo solo vi ricordo, che per experientia vedrete, che li benefici mi farete non saranno mal collocati, perchè non spendo, nè la roba, nè l' tempo, se non in cose honorevole nè meno a V. M. che a me. Mandovi una elegia di uno discendenti di Dante Alighieri, che si chiama Dante quinto del poeta, et terzo del nome, et quale a Verona conobbi, e vedrete uno pistola di sua mano, dove si ricorda di me; m'è paruta una novellitia di cotesto luogho et tempo.

Vorrei che V. M. intendessi, si maestro Pier Lione volessi durar fatica in riveder quella mia traductione di Hippocrate, e Galieno, che è quasi al fine, et così el commento, che fo sopra, dove dichiaro tutti termini e

medicinali che venghono dal greco, et truovo come si possino chiamar latine. Se sua Exc. volessi durar fatica, poi al tempo lo manderei fuori più arditamente; che stimo sara bella cosa et utile, se l'amor non me ne inganna. Mes. Hermolao e'l conte, monstrino pur d'haverne buone opinione.

Udii cantar improviso, hierser l'altro, Piero Nortio, che mi venne assaltare a casa con tutti questi improvisanti; satisfecemi a maraviglia, et præsertim ne' motti, et ne'l rinbeccare, et nella facilità et pronuntia, che mi pareva tutta via veder et udirlo. Va.Mia. Prego Iddio che mantengha lungho tempo, hoc est, semper dum vivimus, et a voi dia vita lunghissima con questo godimento, et delli altri. Raccomandomi a Va. Mia.

V. M. Servulus,

Angelus Politianus.

Florentiæ, die V junii 1490.

APPENDIX VIII.

LAURENTIO DE MEDICIS ANG. POLITIANUS.

Magnifice patrone, di Ferrara vi scripsi l'ultima. A Padova poi trovai alcuni buoni libri, cioè Simplicio sopra el cielo, Alexandro sopra la topica, Giovan grammatico sopra le posteriora et gli Elenchi, uno David sopra alcune cose de Aristotile, li quali non habbiamo in Firenze. Ho trovato anchora uno scriptore greco in Padova, et facto el pacto a tre quinterni di foglio per ducato.

Maestro Pier Leone mi mostrò e libri suoi, tra li quali trovai un M. Manilio astronomo et poeta antico, el quale ho recato meco a Vinegia, et riscontrolo con uno in forma che io ho comprato. E' libro che io per me non ne viddi mai più antiqui. Similiter ha certi quinterni di Galieno de dogmate Aristotelis et Hippocratis in greco, del quale ci darà la copia a Padova, che si è facto pur frutto.

In Vinegia ho trovato alcuni libri di Archimede et di Herone mathematici che ad noi mancano, et uno Phornuto de Deis; e altre cose buone. Tanto che papa Janni ha che scrivere per un pezzo.

In libreria del Niceno, non abbiamo potuto vedere. Andò al principe messer Aldobrandino, oratore del duca di Ferrara, in cujus domo habitamus. Fugli negato a lettere di scatole: chiese però questa cosa per il conte Giovanni, et non per me, che mi parve bene di non tentare questo guado col nome vostro: Pure messer Antonio Vinciguerra, et messer Antonio Pizammano,

uno di quelli due gentilhomini philosophi, che vengono sconosciuti a Firenze a vedere el conte, et un fratello di messere Zaccheria Barbero son drieto alla traccia di spuntare questa obstinatione. Sarassi el possibile; questo è quanto a' libri. M. Piero Lioni è stato in Padova molto perseguitato, et non è chiamato nè quivi nè in Vinegia a cura nissuna. Pure ha buona scuola, et ha la sua parte favorevole: hollo fatto tentare dal ridursi in Toscana. Credo sarà in ogni modo difficil cosa. In Padova sta malvolentieri, et la conversatione non li può dispiciare ut ipse ait. Negat tamen se velle in Thusciam agere.

Niccoletto verrebbe a starsi a Pisa, ma vorrebbe un beneficio, hoc est, un di quelli canonicati; ha buon nome in Padova, et buona scuola. Pure, nisi fallor, è di questi strani fantastichi; lui mi ha mosso questa cosa di beneficii: siavi adviso.

Visitai stamattina messer Zaccheria Barbero, et monstrandoli io l'affectione vostra, ec. mi rispose sempre lagrimando, et ut visum est d'amore: risolvendosi in questo, in te uno spem esse. Ostendit se nosse quantum tibi debeat. Sicchè fate quello ragionaste, ut favens ad majora. Quello legato che torna da Roma, et qui tecum locutus est Florentiæ, non è punto a loro proposito ut ajunt.

Un bellissimo vaso di terra antiquissimo mi mostrò stamattina detto messer Zaccheria, el quale nuovamente de Grecia gli è stato mandato: et mi desse, che sel credessi vi piacessi, volentieri ve lo manderebbe con due altri vasetti pur di terra. Io dissi che mi pareva propria cosa da V. M. et tandem sarà vostro. Domattina farò fare la cassetta, et manderollo con diligentia. Credo non ne habbiate uno si bello in eo genere. E' presso che 3 spanne alto esce di casa, ne è uscito poichè venne a Vinegia.

Item, visitai hiersera quella Cassandra Fidele litterata, et salutai, ec., ec. per vostra parte. È cosa, Lorenzo, mirabile, nè meno in volgare che in latino, discretissima et meis oculis etiam bella. Partimmi stupito. Molto è vostra partigiana, et di voi parla con tutta practica, quasi te intus et in cute norit.

Verrà un dì in ogni modo a Firenze a vedervi, sicchè apparecchiatevi a farle honore.

A me non occorre altro per hora, se non solo dirvi, che questa impresa dello scrivere libri greci, et questo favorire e docti, vi dà tanto honore et gratia universale, quanto mai molti e molti anni non ebbe homo alcuno. E particolari vi riserbo a bocca. A. V. M. mi raccomando sempre. Non ho anchora adoperata la lettera dal cambio per non essere bisognato. Venetiis, 20 junii 1491.

—

APPENDIX IX.

EXSTAT ROMÆ IN BIBLIOTHECA CORSINIANA, CATULLI, TIBULLI, AC PROPERTII EDITIO, ANNI MCCCCLXXII, UNA CUM STATII SILVIS, QUÆ FUIT ANGELI POLITIANI, CUJUS MANU HÆC IN FINE NOTATA SUNT.

(*Band.*, *Cat. Bib. Laur. vol.* II, *p.* 97).

Catullum Veronensem, librariorum inscitià corruptum, multo labore multisque vigiliis, quantum in me fuit, emendavi, quumque ejus poetæ plurimos textus contulissem, in nullum profecto incidi, qui non itidem, ut meus, esset corruptissimus. Quapropter non paucis Græcis et Latinis auctoribus comparatis, tantum in eo recognoscendo operæ absumpsi, ut mihi videar consecutus, quod nemini bis temporibus doctorum hominum contigisse intelligerem. Catullus Veronensis, si minus emendatur, at saltem maxima ex parte incorruptus, mea opera, meoque labore et industria in manibus habitat. Tu labori boni consule, et quantum in te est, quæ sunt, aut negligentia, aut inscitia mea nunc quoque corrupta, ea tu pro tua humanitate corrige et emenda; memineris-que Angelum Bassum Politianum, quo tempore huic emendationi extremam imposuit manum, annos decem et octo natum. Vale jucundissime lector. Florentiæ, MCCCCLXXIII pridie idus sextiles. Tuus Angelus Bassus Politianus.

Similis nota in fine Propertii occurrit, et quidem ita: Catulli, Tibulli, Propertiique libellos cœpi ego, Angelus Politianus, jam inde a pueritia tractare, et pro ætatis ejus judicio, vel corrigere, vel interpretari; quo fit, ut

multa ex eis ne ipse quidem satis, ut nunc est, probem. Qui leges, ne quæso, vel ingenii, vel doctrinæ vel diligentiæ nostræ hinc tibi conjecturam aut judicium facito. Permulta enim infuerint (ut Plautino utar verbo) me quoque qui scripsi judice digna lini. Anno 1745.

EDITIONUM POLITIANI CATALOGUS

JUXTA ORDINEM CHRONOLOGICUM.

Editiones seculi XV.

1478. — Pactianæ conjurationis Commentariolum, anno M. CCCC. LXXVIII, in-4, formæ minoris. (Liber rarissimus, decem ff. complectens, Florentiæ probabiliter impressus, ed. pr.) 1

1482. — Politiani silva, cui titulus *Manto*, Florentiæ, in-4., ed. pr. 2

1483. — Politiani silva, cui titulus *Rusticus*, Florentiæ, in-4., ed. pr. 3

1485. — Politiani silva, cui titulus *Ambra*, Florentiæ, in-4., ed. pr. 4

1489. — Angeli Politiani Miscellaneorum centuria prima ad Laurentium Medicem. Impressit ex archetypo Antonius Miscominus, familiares quidam Politiani recognovere, Politianus ipse nec horthographiam se ait, nec omnino alienam præstare culpam. Florentiæ, anno salutis M.CCCC.LXXXIX, decimo tertio Kalendas octob., in-f., formæ minoris, 94 ff., ed. pr. 5

1491. — Politiani Nutritia. Impressit Florentiæ Antonius Miscominus, VII Cal. Junias, M.CCCC.LXXXXI, in-4., ed. pr. 6

1491. — Politiani silva, cui titulus *Nutritia*, Bononiæ, per Platonem, impressorem accuratissimum, M.CCCC.LXXXXI, decimo Kal. Julias, in-4. 7

1492. — Politiani silva, cui titulus *Rusticus*, Bononiæ, per Platonem, impressorem accuratissimum, M. CCCC. LXXXXII, in-4. 8

1492. — Politiani silva, cui titulus *Ambra*, Bononiæ, per Platonem, impressorem accuratissimum, M. CCCC. LXXXXII, in-4. 9

1492. — Prælectio in priora Aristotelis Analytica, Bononiæ per Platonem, M. CCCC. LXXXXII, in-4. 10

1492. — Angeli Politiani Prælectio in priora Aristotelis Analytica, cui titulus *Lamia. In fine*, Impressit Florentiæ Antonius Miscominus, decimo octavo Kal. decembris, M. CCCC. LXXXXII, 29 pp. in-4. 11

1493. — Herodiani Historiæ, latine e græco, ex interpretatione Politiani, Romæ, M.CCCC.LXCIII in-fol. 12

1494. — Stanze de Messer Angelo Poliziano, facte per la giostra de Giuliano, fratello del Magnifico Lorenzo di Medici. *In fine leguntur hæc verba* : « Qui finischono le stanze cōposte da Messer Angelo Politiano facte p la giostra de Giuliano fratello del Magnifico Lorenzo di Medici de Fiorēze insieme con la festa de Orpheo stampate curiosamente a Bologna per Platone delli Benedicti impressore accuratissimo, del anno M. CCCC. LXXXXIIII a di nove de agosto. » in-4. formæ minoris, 42 ff. ed. pr., (rarissima.) 13

1496. — Miscellaneorum centuria prima, Panepistemon, et prælectio in Aristotelem, cui titulus *Lamia*, Brixiæ, Bernardinus Misinta, M. CCCC. LXCVI, in-fol. 14

1497. — Angeli Politiani Panepistemon, ejusdem Lamia, seu in priora Analytica Prælectio. Venetiis, Simo Papiensis, M. CCCC. LXCVII, in-fol. 15

1498. — Angeli Politiani opera omnia, et alia quædam lectu digna. Venetiis, in ædibus Aldi Romani, mense Julio, M.IID, in-fol. 16

1499. — Illustrium virorum epistolæ, scilicet Angeli Politiani, Joannis Pici Mirandulæ, etc. Parisiis. Nicol. Wolf, 1499, in-fol. 17

1499. — Angelus Politianus, opera et impensa Leonardi de Arigis de Gesoriaco, 1499, in-fol., 208 ff. conti- 18

nens. (In ea editione, quæ Aldina rarior est, desunt Herodiani translatio et liber Miscellaneorum.)

1490 — 1500. Stanze di Messer Angelo Poliziano, cominciate per la giostra del magnifico Giuliano di Piero de' Medici. *In fine* : « La soprascripta opera dallo auctore non fu finita. » in-4., formæ majoris, 42 ff. Credi potest hanc editionem prodiisse Florentiæ, decedente seculo decimo quinto. Orphei fabulam continet. (Oltre a l'edizione 1494, l'Audifredi) specimen edit. sæc. XV., p. 392.) Descrive altra stampa fatta *senza nota di luogo, di anno e di stampatore*, in-4., in tutto simile all'edizione 1494, a cui contende il primato. Questo però non le venne concesso dal P. Affò (Pref. all'Orfeo ed. 1776) nè dall' ab. Michele Colombo in una scrittura di cui gli piacque gentilmente mandarmi copia, e con cui rafferma l'anzianità dell' edizione del Benedetti. (Gamba, *serie dei testi di ling. Ital. n°* 642.) 19

1490 — 1500. Exstat operum vulgarium Politiani collectio antiquissima, quam Apostolus Zeno typis mandatam fuisse credit inter annos 1490 et 1500, nullo neque loci neque temporis dato indicio, cui titulus : Ballatette del Magnifico Lorenzo de' Medici, di M. Agnolo Poliziano e di Bernardo Giambullari. (Apost. Zeno, note alla Bibliot. dell' Eloquenza Ital. del Fontanini, tom. II. p. 83.) 20

Editiones seculi XVI.

1503. — Herodiani Historiarum libri VIII, quos Angelus Politianus latinos fecit. Venetiis, Aldus M.DIII, in-fol. 21

